



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**S. Avrelii Avgvstini Hipponensis Episcopi Et S. R. E.  
Doctoris Vita**

**Lancilottus, Corneille**

**Antverpiæ, 1616**

Liber Secvndvs Continentis ea potissimùm quæ gessit à Baptismo vsque  
ad Episcopatum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42857**

DE VITA  
D. PATRIS AVRELII  
AVGVSTINI  
EPISCOPI

## LIBER II.

Continens ea potissimum quæ gessit  
à Baptismo vsq; ad Episcopatum.

## CAPVT I.

*Augustinus Baptismum ceteraq; Sacramenta  
ex more recipit. Hymnum, Te Deum lau-  
damus, cum Ambrosio diuinitus inspira-  
tus concinit.*

Lib. 9. Cō-  
fess. cap. 6.



Baron. t. 4.  
anno 388.  
num. 71. &  
in Annot.  
Martyrol.  
5. Maij.

triam Paschales instabant fe-  
riæ, cum relicto rure, Medio-  
lanum repetijt, vt solemniter  
hoc tempore (vt tunc erat  
meris) sacro Baptismi liquo-  
re in Ecclesiâ ablueretur. Contigit hoc  
anno ætatis eius xxxiv. partus Virgi-  
nei cccclxxxviii. tertio Nonas Maij (qui  
dies postmodum conuersioni eius fuit sa-  
cer)

cer) effusâ totius Ecclesiæ lætitiâ , exultan-  
 tibus bonis omnibus , ac velut triumphum  
 celebrantibus ob talis ac tanti viri conuer-  
 sionem: qui prius tantum erat infestus Or-  
 thodoxis omnibus , vt in Litanij iussu  
 D. Ambrosij referant addi solitum: *A Logi-  
 câ Augustini, Libera nos Domine*: quarum  
 Litaniarum exstare etiamnum dicunt que-  
 dam exemplaria. Non igitur sine causâ  
 tam ingens Ecclesiæ gaudium fuit , vt in  
 omnium ore versaretur , Augustinum tam  
 captiosum pridem Catholicorum aduersa-  
 rium Christiano ritu baptizatum esse. Ne-  
 que hoc tantum in eâ ciuitate hominum  
 sermonibus diuulgabatur, sed & rem eam-  
 dem quaquauersus præ lætitiâ transcribe-  
 bant primarij quidam Mediolanensium;  
 adeoque ipsemet Augustinus ad amicos in  
 Africâ literas de Baptismate suo dabat. Va-  
 lerius autem Hipponensis Episcopus hac  
 de re factus certior, gaudio gectiens, est Au-  
 gustino per literas gratulatus , calcarque  
 subdidit ad sanctitatis progressum, vt patet  
 ex illius ad Augustinum Epistolâ , quam in  
 Ducum Mediolanensium bibliothecâ re-  
 pertam, & Latinitate donatam, eruit de te-  
 nebris Gabriel Sfortia Augustinianus , Ar-  
 chiepiscopus Mediolanensis , frater Ducis  
 Francisci Sfortiæ . Summam verò lætitiâ

*Ingens fa-  
 ma & gaus-  
 dium per  
 Urbem &  
 Orbem pro-  
 pter Augu-  
 stini Bap-  
 tismum.*

In Hymnū,  
Te Deum  
laudamus.

Rodolph.  
Tuage lib.  
de Canon.  
obser. pro-  
pos. 13.

Lib. 9. Cō-  
fess. cap. 7.  
Orat. 2. de  
Imag.

res ea peperit D. Ambrosio, quod (vt noster  
Iacobus de Valentiā Episcopus Christopo-  
litanus) præuideret egregium fore Augusti-  
num diuini verbi præconem; & viæ Domi-  
nicæ, instar Ioannis Baptistæ, tot inter erro-  
res hæreticorum, præcognosceret ducem  
ad veritatem Catholicam futurum; non  
aliā quā diuinā præensione, quā simul  
cum Augustino supernè afflatus, illum toto  
terrarum orbe celeberrimum Hymnum,  
*Te Deum laudamus*, alternis vocibus felicis-  
simā extemporalitate cecinit cum eodem  
obeundo viam publicam, ex more, quo re-  
cens baptizati tolemni pompā in supplica-  
tione circumducebantur. Quā etiam læti-  
tiā credibile est cælites affectos fuisse, cum  
sub idem ferè tempus visi sunt velut eorum  
legati Ambrosio DD. Geruasius & Prota-  
sius, cum tertio quodam, qui (vt ait Da-  
masceus) referebat Apostolum Paulum,  
cuius semper studiosissimus fuit Augusti-  
nus. Equidem Mediolani prope basilicam  
vidi sacellum mole exiguum, sed ob vene-  
rationis antiquitatem a Borromæis & Me-  
diolanensibus pie cultum, cuius tabula al-  
tari supposita, ritum solemnem hunc expli-  
cans, testimonio est, D. Augustini, Alpij,  
Nebridij, & pueri Adeodati celebratum  
ibidem à D. Ambrosio Baptisma fuisse.

Etiam

Etiam Confirmationis sacramentum accepisse scribit Dacius in Chronico: quod probabile satis est; omnibus enim à Baptismate dabatur sacra Confirmatio, cuiuscumque ætatis vel conditionis ij essent, ut patet ex Dionysio lib. De Eccl. hier. cap. 4. Cyril. Ieros. cateches. 4. myltag. & ipso Augustino tract. 6. in primam canonic. Ioannis. Æquè rationi conueniens, eum sacrâ Eucharistiæ sumptione refectum fuisse: nam eam baptizatis solitam fuisse dari statim post Baptismum, docet idem Dionys. eodem lib. De Eccl. hier. par. 2. & 3. Iustin. in Apol. in fine; Cyprian. lib. 2. Epistolâ 3. Ambros. lib. De mylt. cap. 8. Augustin. Epistolâ 23. ad Bonifacium, & alibi. Quod & satis indicat Possidius cap. 1. in Vitâ, vbi ait eum per Ambrosium Antistitem diuina Ecclesiæ Catholicæ accepisse Sacramenta. Quorum admirando effectu fugit ab eo sollicitudo vitæ præteritæ: nec satiabatur illis diebus dulcedine mirabili considerare altitudinem consilij diuini super salutem generis humani. Multùm flebat in hymnis & canticis suauesonantis Ecclesiæ, vocibus vehementer affectus. Voces, ait, illæ influebant auribus meis, & eliquebatur veritas tua in cor meum, & ex eâ astuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & benè mihi erat cum eis.

Augustinus  
S. Confir-  
mationis  
atque Eu-  
charistiæ  
Sacramentæ  
baptizatus  
accipit.

Sacramentis  
susceptis  
mirabili  
perfundi-  
tur dulcedine.

Lib. 9. Cō-  
fess. cap. 6.

Turbo stillaticius apud pharmacopolas, conceptis intus rosis fragantissimi odoris, propter ignem qui subijcitur, suauissimum emittit liquorem, cuius plurimus vsus est in rebus quæ medicinam spectant. Pari modo cor Augustini, per aurium conceptacula, velut flosculos concipiens hymnorum & canticorum, quæ in Ecclesiâ Catholicâ frequentabantur, ab igne charitatis resoluebatur, seseque patefaciebat in illius animo veritas, cuius energia per oculos effluebat, gratissimum cum ipsi tum alijs infirmioris palati neophytis antidotum præstans.

## CAPVT II.

*Summa D. Augustini pietas in Precibus Ecclesiasticis audiendis & recitandis.*

**H**VNC igitur in modum diuino Officio intererat, & ipsemet deinceps per dies singulos ordinarias preces ad Deum fundebat, summopere illam Prophetæ *com-  
Jerem. 48. minationem exhorrescens; Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter.* Ideoque pensum Horarum summâ animi attentione persoluit, atque etiam auxit; & inter alia cōcinnasse fertur Responsoria quæ dici solent post Lectiones matutinas. Ad hæc contra hæreticos quosdam, negantes pro Defunctis preces valere, mortuorum Officium  
com-

composuisse putatur. Tum etiam probabile valde, coniunxisse septem Psalmos pœnitentiales. Id sane constat, paulò ante mortem eosdem recitasse ante se positos, vt infra latiùs ostendetur. Tantâ verò ani- Lib. 6. c. 62  
mi præsentia & attentione Preces horarias recitabat (prò temporis nostri abusum!) vt in Deum absorptus esse videretur; quem sibi quidem vbique & semper, maxime tamen orationis tempore præsentem intuebatur: *Gressus meos, ait, semitasq; consideras, & die noctuq; super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans, speculator perpetuus; veluti si totius creaturæ tuæ celi & terræ oblitus, tantum me solum consideres, & nihil tibi sit cura de aliis. Semper quippe te præsentem exhibes, semper te paratum offers si me paratum inuenis. Quocumque iero, tu Domine me non deseris, nisi prior ego te deseram. Fateor quidem quia quidquid facio, melius tu vides quàm ego qui facio; quidquid enim semper operor, tu pariter semper præsens assistis, vtpote perpetuus inspector omnium cogitationum, intentionum, delectationum, & operationum mearum. Cumq; hæc diligenter considero, Domine Deus meus, terribilis & fortis, timore pariter & ingenti rubore confundor, quoniam nobis magna est indita necessitas iustè recteq; vi-* Soliloq. cap. 14.  
H 4 uendi,

uendi, qui cuncta facimus ante oculos Iudicis  
cuncta cernentis.

## CAPVT III.

*Quomodo D. Augustinus à Baptismo, pietati  
ac pœnitentiæ deditus fuerit.*

Sup. lib. I.  
cap. 42.

Quenam  
Lacryma-  
rum vallis.

**F**VIT igitur Augustinus hoc omni tem-  
pore contemplationi, orationi, lacry-  
mis, ceterisque pietatis officiis apprimè de-  
ditus, & in Deum sanctumque eius amo-  
rem incensus. Manifestè hoc eiusce verba  
suprà dicta significant: *Ascendenti à conual-  
le plorationis, &c.* Solebant namque profe-  
lyti apud Iudæos recens conuersi, & adhuc  
peccatorum labe infecti, dum sese purga-  
rent, profundiorum quemdam locum ad-  
ire, què Lacrymarum vallem, necnon Ge-  
hennam vocabant; in quâ fons erat, cuius  
aquâ abluti primùm, dein amicti veste can-  
didâ, paulatim ad templum ipsum Iero-  
solymitanum ascendebant, quod in vrbe  
edito loco situm erat: iidemque profelyti  
inter ascendendum, lacrymas precesque  
ad Deum profundere solebant. Ad hunc  
lustrationis ritum attendens Augustinus,  
Religionem Catholicam vocat Lacryma-  
rum vallem, quòd in eâ sacrum Baptismi  
fontem inuenerit, cuius vi expiatus fuit  
omnibus iis quibus antè maculabatur pec-  
cato-



catorum sordibus; quodq; simul innocentiae candido velamine fit indutus: de quo Lactantius:

*Fulgētes animas vestis quoq; cādida signat.*

In carmine  
Paschali.

Vt verò ex hac valle plorationis lustratus ascendit, continuo ex oculis eius erupere duo lacrymanū fontes, quibus cœpit, instar filij prodigi, peccata sua deplorare, gratiasq; Deo agere, quòd eū de tantis malis eduxisset. Atq; ideò ibat cantans Canticum graduum. Quod ideò sic dictū fuit, quia quotiescumq; populus Hebræus sese ab hostibus in libertatem aliquā vindicabat, in gratiarum actionē pro adeptā libertate canere solebat quindecim Psalmos graduales, ascendendo paulatim, quasi per gradus, versus Ierusalem in editiore loco sitam. Ad hunc igitur morem, & ad ritum superiorem, dicit se incinuisse Psalmos, in memoriam & gratiarum actionem tanti beneficii, quo Deus eum de peccati seruitute, deque tot erroribus in viam veritatis, inque libertatem Christianam asseruit.

Quodnam  
Canticum  
graduum?

Ceterum vt hunc accliuem pœnitentiæ montem promptius ascenderet, dicit se ante oculos posuisse, velut faciliores ascendendum gradus, exempla hominum aliquot sanctorum, qui à peccatis ad Deum conuersi, Spiritus sancti flammâ mirabili-

H s ter

ter exarserunt. Horum igitur præuiis exemplis est incensus, horum efficaciam dubitationis omne frigus abscessit: hæc eundem tam potenti amoris vulnere fauciarunt, vt Dei beneficiorumque eius memoria, velut acutę sagittę cordi eius assiduò inhærent.

*Insignis  
Augustini  
pœnitentia.*

Quæ causa fuere, vt statim à Baptismate corpus suum frequentibus longisque ieiuniis castigaret, cilicinâ veste domaret, mortificationibusque crebris exerceret: quibus hoc assequeretur, vt virtutum quod fecerat damnum refarciret, vulneraque criminum sanaret. Has easdem peccatorum cicatrices, pœnitentię, vt sic dicam, chlamyde inuestiebat, quæ lacrymarum quasi gemmis intexebatur, quam vitæ asperitas commendabat, cuius velut puluisculos disciplinæ excutiebat, quam eandem adamas fidei, smaragdus spei, pyropus charitatis incendebant.

## CAPVT IV.

*S. Augustinus baptizatus, Euangelicam perfectionem, tutissimamque ad salutem viam consecrans, fit monachus.*

*In vnius  
Christi moribus est absolutissimū  
virtutis  
exemplar.*

**V**EHEMENTIORES autem stimulos subiecit ad currendam viam mandatorum Dei, ipsius Saluatoris exemplum: in cuius vnius doctrinâ & moribus absolutissima

tissima veræ virtutis exempla hominibus esse proposita norat. *Satellites*, inquit, *voluptatum diuitias*, perniciosè populi appetebant, pauper esse voluit: honoribus & imperiis inhiabant, Rex fieri noluit: carnales filios magnum bonum putabant, tale coniugium prolemq; contempsit: contumelias superbissimè horrebant, omne genus contumeliarum sustinuit: iniurias intolerabiles esse arbitrabantur, quæ maior iniuria quàm iustum innocentemq; damnari? dolores corporis execrabantur, flagellatus atque cruciatus est: mori metuebant, morte multatus est: ignominiosissimum mortis genus crucem putabant, crucifixus est; omnia quæ habere cupientes non rectè vivebamus, carendo vilia fecit: omnia quæ vitare cupientes à studio deviamus veritatis, perpetiundo deiecit. Non enim vllum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur quæ ille contempsit; aut fugiuntur ea quæ ille sustinuit. Tota itaque vita eius in terris, per hominem quem suscipere dignatus est, disciplina morū fuit. Quam quidem vt baptizatus est, fategit omni quæ potuit ratione assequi; turpissimum ratus, nisi quemadmodum nomine Christiano; sic & vitæ similitudine Christum in terris imitaretur: quaque viâ cælum ascendit, ipse itidem sequeretur. Quapropter honores,

Lib. De verâ Relig.  
c. 16.

Lib. De fide & Symbol. c. 4 & Lib. 83. qq. q. 26. &c.

Augustinus baptizatus, fategit omni ratione assequi disciplinam Christi.

res, linguæ quæstus, Veneris illecebræ, ceteraq; mundi blandimenta numquam pridem fuerant tantæ voluptati, quanto iam erant fastidio.

*Augustinus monachus.*

*Lib. 1. De doct. Chri. cap. 22.*

*Cap. 2. Vita D. Augustini.*

*Luca 11.*

*Matth. 19.*

Id vnum erat cordi, quî per heroicas virtutes, perfectionisq; Christianæ exercitium, ad Deum viciniùs accederet. Compertum enim habebat, tum denique optime esse homini, cum totâ vitâ suâ pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi. Ideoq; Christi & Apostolorum eius sectatus vestigia, monasticę vitæ genus fine morâ delegit. Quod latius contra huius veritatis oppugnatores deducere, non est mihi propositum; maximè cum D. Possidius omni exceptione maior testis eiusq; domesticus, dicat eum Euangelicę perfectioni, & omnimodę Christi discipulorumq; eius imitationi sese tradidisse. *Mox, ait, ex intimis cordis medullis, spem quam habebat in seculo dereliquit, iam non uxorem, non filios carnis, non diuitias, non honores seculi querens, sed soli Deo cum suis servire statuit; in illo & ex illo pusillo grege esse studens, quem Dominus alloquitur, dicens: Nolite timere pusillus grex, quoniam complacuit Patri vestro vobis dare regnum. Vendite que possideris, date eleemosynam, facite vobis sacculos non veterascentes, thesaurum non deficien-*

*cientem in calis.* Et ipsemet Augustinus sæpè Apostolicam hanc vitam ope diuinæ gratiæ, etiam ante sacerdotium, amplexum se fuisse testatur. *Quid ergo: ait, dicunt qui nobis insultant de nomine monachorum.* Et alibi deplorans se non in sanctâ Religione, vt par erat, ita sanctè vixisse, *Tulisti, fatetur, me Domine de domo patris mei carnalis, & de tabernaculis peccatorum, & inspirasti mihi vt sequerer te cum generatione quarentium faciem tuam, ambulantium semitam rectam, commorantium inter lilia castitatis, & tecum discumbentium in cœnaculo altissimæ paupertatis; & ego tot beneficiorum ingratus, post Religionis ingressum multa commisi illicita.* Ex quibus clare liquet, eum religiosam vitam arripuisse; quæ tria, Castitatis nempe, Paupertatis, & Obedientiæ, vota complectitur. Quam ob causam, vt suprâ ex Possidio relatum est, mater eius Monica, longè amplius de hoc animi eius decreto, quàm de carnis nepotibus (quos per Augustini coniugium, si monachus non fuisset, habere potuisset) est sibi gratulata. Id vnum namque frequentissimis à Deo precibus lacrymisque assiduis expetierat, vt Augustinum *Christianum Catholicum videret, priusquam moreretur: cumulatius hoc illi Deus prestitit, vt hunc etiam contemptâ felicitate terrenâ*

Enarrat.

Psal. 134.

Lib. Medit.  
rat. c. 39.Lib. 9. Cōf.  
fess. c. 10.

renâ

renâ *seruum eius videret*, non per emenda-  
torem vitam tantum, verum etiam per  
Regulæ monasticæ professionem: eâ enim  
tempestate iidem qui iam dicuntur *Reli-  
giosi, Serui Dei* vocabantur. Afferuatur et-  
iamnum in bibliothecâ Vaticanâ codex  
peruētustus manuscriptus De cognitione  
veræ vitæ, cuius libri finis asserit, D. Augu-  
stinum hunc librum scripsisse Fratribus ere-  
mitis in monte Pisano, cum iam seruus Dei  
siue monachus existens, Mediolano con-  
tendit ad Ostia Tyberina per eundem Pi-  
sanum montem; in quo refert eum Fran-  
ciscus Petrarcha commoratum aliquo  
tempore fuisse indutum veste eremiticâ,  
quam baptizatus statim induerat. Id cum  
alij Augustinum sic egisse omnino probent,  
ego dumtaxat traditionem antiquam secu-  
tus, huc obiter infero commodiore loco, de  
eiusdem vitâ monachicâ dicturus. Quod si  
forsan aliqui D. Augustinum monachum  
vel eremitam fuisse negent, id de anacho-  
ritâ, non verò cœnobitâ ex mente B. Ior-  
dani intelligendum, quoniam inquit, *non  
est dubium eum cœnobitam fuisse.*

P. Damia-  
nus in ser.  
qui incipit,  
*Cunctus  
amanti-  
bus, &c.*

Barth. Vr-  
binas in  
prologo  
Milleloq.

Lib. 2. De  
vitâ solita-  
riâ.

Augustin.  
epist. 19.

Lib. 1. c. 7.

## CAPVT V.

*Quali veste D. Augustinus monachus,  
eiusq; sequaces sint vsi.*

ERAT autem vestis eius toga tunicave vestes diu  
Augustini  
religiosa. oblonga, quam zona cingebat, præterque hanc cucullus; genus veitimenti hominum viliorum, ac minùs sapientum (eis enim conuenit vestes arctius aptari, ne indecenter defluant) eoque contra aëris iniurias utebatur. Potuit etiam fuisse leuidensa, vel etiam cilicium: nam lib. De opere monachorum, *Tondeant, inquit, & cilicio caput velent.* Hoc genere vestitus sanctissimi homines, volentes videri mundo desipere, oblectabantur; pessimi quique, ac in primis hæretici, offendebantur. Vnde etiam illud Manichæi in Augustino carpunt, Augustinus verò sibi honori ducit. Eisdem vestibus indutus, quamuis Episcopus esset, populo coràm se ostendebat, vt videre est Serm. XLIX. De diuersis. de quo infra loco magis opportuno dicemus. Taliter indutum fuisse post acceptum Baptisma, docet præter D. Ambrosium (cuius affertur hac de re Sermo) Petrus Morsalinus Franciscanus, tam in Martyrologio, quàm suis in idem Annotationibus, ad tertium Nonas Maij, vbi dicit D. Augustinum à B. Ambro-

bro-

brofio baptizatum, nigro monafticoq; habitu fuiffe indutum. Fidem etiam huic rei faciunt antiquiffimæ variis in locis picturæ: nam in B. Mariæ, D. Petri, S. Ioannis, pluribusq; Romæ templis, necnon fanctæ Sophiæ Constantinopoli, Venetiis, & compluribus Italiæ ædibus cathedralibus, S. Auguftinum depictum nigri coloris veftibus monachicis, refert inter ceteros Ambrofius Coranus in Apologiâ fecundâ, quam Xyfto IV. obtulit. Exftat in Bibliothecâ Vaticanâ liber ex pergameno, ficut & fornix antiquus circa eundem locum, vbi opera huius fanctiffimi Doctoris manuſcripta vidi, in quorum utroque S. Auguftinus Pontificalibus veftibus, & cucullo nigro cernitur. In vrbe etiam Papienſi iam à multis annis depictus inuenitur D. Auguftinus cum huiusmodi religioſis ac Pontificalibus indumentis in aula Senatoriâ: vbi ciuitatis decuriones genuflexi ob ceſſantem eius interceſſione peſtem, duodeuiginti faces offerunt: cuius rei vt perpetua foret memoria, ita literis eſt prodita: *Anno M. D. III. vrbe noſtrâ, peſte ſeuiffimâ afflicta, desperato irritoque humano auxilio, celeſti proteſtore Auguſtino duodeuiginti faces albas quotannis oblaturi nuncupato voto, ſalubrem ſtatum impetrarunt.*

Angelus  
Rocha in  
Biblioth.  
Vatican.  
f. 243.

*D. Auguſtinus interceſſor contra peſtem.*

Cete-



Ceterum huius habitus colorem atrum fuisse, docent ferè iidem. Solebat enim color priscorum monachorum talis esse, ac præsertim tempore S S. Augustini & Hieronymi; ad distinctionem primùm hæreticorum, qui id temporis in tantum albis vestibus delectabantur, vt etiam illis amici, iusta persoluerent: dein ad significandum hoc atro colore, se mundum lugere, ac pœnitentiæ debere fructus adferre, vt benè docet Ioannes Ierosolymitanus. Quare & Ruffini socia Melania (teste Paulino epistolâ 11.) sericam auratamque suppellectilem, veteribus & nigris vestibus commutauit, ad mundi contemptum aspirans. Quod idem cum Edicia moliretur inconsulto marito, sic ab Augustino reprehenditur: *Quid absurdius quàm mulierem de humili veste viro superbire, cui te potius expedires obtemperare candidis moribus, quàm nigellis vestibus repugnare.* De his quoque Prudentius: *Squalent, inquit, recinctâ veste pullati Patres.* E quorum numero fuit S. Martinus, qui primus ex Oriente nigrum monachorum habitum in Italiam inuexit, cuius inter ceteros Mediolani discipulus fuit beatus Simplicianus, à quo genus hoc monasticæ vestis Augustinum accepisse, detulisse, eoque religiosum egisse, præter fidem

*Habitus di-  
ui Augusti-  
ni niger.*

Eunapius  
in Vitâ Ae-  
desij.

Petrus Ve-  
nerabilis  
lib. 5. c. 15.

Lib. de In-  
stit. mona-  
chor. c. 34.

Epist. 99.

In hymnè  
iciun.

Pet. Vene-  
rab. su. li. 5.  
epist. 15.

I poste-

posterorum, etiam hæreticorū sub id tempus sanne & irrisiones sunt argumēto, Petilianus videlicet & Secundini. Quorum alter

Lib. 3. adu.  
Petil. c. 40.

Tom. 6.  
Augustini  
ante librū  
eius.

Petilianus in Augustino (vt ipsemet scribit) grauitè & ore maledico idipsum reprehendebat; Secundinus verò Augustinum propter vestes pullas quas deferebat, è splendido cæli conuiuio, in obscuriores inferni tenebras præcipitandum nugabatur. Testis est ex recentioribus Cardinalis Belarminus tom. 2. lib. 2. C C. variis de Monach. & lib. de Eccles. Script. sæcul. v. in principio, Baronius tomo 4. anno Christi cccxci. & P. Ribadeneira in Flore Sanctorum, xxviii. Augusti, asserentes vnanimi sententiã, vitę monasticę institutum ab Augustino in Africam inuectum fuisse, eundemque id seruasse, aliisque seruandum tradidisse. Mombricius in Vitã S. Simpliciani, S. Antonin. 3. p. hist. t. 24. Matur. ad hanc 3. p. & t. 24. S. Antonini, Valent. 2. 2. De statu Relig. Anton. Possuin. in Appar. sacro, v. Augustinus, Auctor Appendic. ad Catal. Petri de Natal. & alij,

Lib. 4 Cõ-  
fess. Aug.  
de mona-  
chor. insti-  
tuto, cap. 8.  
Proposit. 6.

*Augustinum*, asserunt, *Ambrosius baptizauit, nigroq; superindutum cucullo, pelliceã zonã cinxit.* Æquẽ dilucidẽ etiam Hieron. Torrent. in suã Confessione, *Augustinus, inquit, monachus fuit, monachorum institu-*  
tor,

tor, cucullo nigro indutus, & cingulo coriaceo  
 præcinctus. Quam rem etiam confirmat  
 istud, quòd Augustini sequacibus Eremitis  
 idem habitus decretus est aliquot antè sæ-  
 culis, ac contra reprehensores fuit pronun-  
 tiatum à Leone I. & Alexandro I V. *Sedes* In fine  
 inquit D. Antoninus, *Apostolica aspiciens ad* 3. p. histor.  
*primariam Ordinis originem, habitum supe-*  
*riorem ei determinavit; imò veriùs, dudum*  
*per S. Augustinum determinatum declaravit,*  
*statuendo videlicet, quòd eorundem* (scilicet  
 Eremitarum S. Augustini) *habitus exterior*  
*esset cucullus nigri coloris.* Idem pluribus lo-  
 cis effusè declarat B. Iordanus in libris De  
 Vitis Fratrum, libro præsertim primo, ca-  
 pite 15. & aliis.

Cùm autem in quibusdam locis, atque  
 in Hiberniâ maxime, venefici quidam eius-  
 dem coloris vestibus vterentur, ad distin-  
 ctionem illorum, Eremitæ Augustiniani  
 vestes albas ferre cœperunt: quâ tamen oc-  
 casione cessante, priorem habitum nigrum  
 resumpserunt, albâ veste dumtaxat intra  
 domesticos parietes vtendo. Quam diu re-  
 tentam, cùm Benedictus I I. quorundam  
 precibus commotus vellet vt ne ampliùs  
 Augustiniani ferrent, primarij Patres ali-  
 quot Perusij (quâ in vrbe Pontifex Roma-  
 nus tum erat) coram B. Virginis imagine  
 I 2 votum

*Quâ rã-  
 tione Ere-  
 mita Au-  
 gustiniani  
 habitu albo  
 vtantur.*

votum fecere, ut si illius patrocinio habitum retinerent, quem in honorem eiusdem deferrent, Ordo noster uniuersus certas quasdam Lectiones ex S. Augustino concinnatas cum Psalmis aliquot, per hebdomades singulas recitaret: quâ re diuinitus impetratâ, etiamnum domi candidâ veste in honorem intemeratæ Virginis amiciuntur. Atque ideò iam tum ex eo tempore, quo hoc à Deo beneficium receperunt, Augustiniani quibusdam in locis dicti sunt Gratiani, seu Religiosi de gratiâ. quam & aptè sic vocari queant, si ad ipsum magnum patrem familias Augustinum respiciamus, qui gratiæ Dei, contra tot illius impugnatores, defensor singularis exstitit, quiq; sui imitatores hunc salutandi modum (*Deo gratias*) primus edocuit, in gratitudinis signum pro tantis tamque diuersis in genus humanum Dei beneficiis, ac præsertim, quòd è tot hominum millibus se non tantum ad religionem Orthodoxam, verum etiam ad monasticum vitæ genus euocasset.

*Augustiniani dicti quibusdam in locis Gratiani.*

Enarrat. in Psal. 132.

Lib. De diligendo Deo cap. 7.

## CAPVT VI.

*S. Augustinus Diuinarum literarum studiosissimus; quas etsi non capit, maximè tamen suspicit.*

**I**GITVR Christianæ fidei mysteriis initiatus, taliq̄ue veste indutus, diligenter se exercuit in studio atque commentatione S.S. literarum, è quibus veluti diuitibus venis eruebat æternæ vitæ thesaurum, quo vno sumus beati. Frequens item erat in Ecclesiâ, quòd in eâ, prout dictum est, mirâ dulcedine perfunderetur, ob hymnorum suauem concentum: qui per ea tempora primùm Ambrosij statuto choris alternis coepti sunt in templo decantari. Cùm enim Iustina Augusta, hæresi Arianâ infecta, D. Ambrosium Episcopum impotentius odisset, sublaturumq̄ue vellet è medio: vir sanctus pro retinendâ religione, conseruandisq̄ue patriis legibus mori paratus, cum primariis aliquot ciuibus in æde sacrâ constanter excubabat; simul id agens, vt ne quid tædij, suauesonantibus hinc inde canticis, populus sentiret. Quam rationem cantandi postmodum imitatae sunt pleræque Occidentis regionis Ecclesiæ (nam ea in Oriente tunc præuigebat) *vt per oblecta-*

*S. Augustinus Sacrarum literarum & edium sacrarum amantissimus.*

*Lib. 9. C. 5. fess. c. 7.*

*Li. 10. C. 5. fess. c. 33.*

pietatis assurgeret. In hunc eundem finem, videlicet vt feruentiores in Deum excitarentur affectus, externos quoque ritus inter orandum adhibere optimum censebat,

Lib. De cura pro mor. cap. 1.

docentque hæc ipsius verba: *Orantes de membris sui corporis faciunt quod supplicanti- bus congruit, cum genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, & si quod aliud visibiliter faciunt; quamvis eorum inuisibilis voluntas, & cordis inten-*

Percantur & ritus externos, interior affectus excitatur.

*tio Deo nota sit, nec ille indigeat his iudiciis, vt ei humanus pandatur animus: sed his magis seipsum excitat homo ad orandum, gemendumque humilius atque feruentius. Et nescio quo modo, cum hi motus corporis fieri nisi motu animi precedente non possint, eisdem rursus exterius visibiliter factis, ille interior inuisibilis, qui eos fecit, augetur: ac per hoc cordis affectus, qui vt fierent ista præcessit, quia facta sunt, crescit. Quod in seipso fatetur experientiã didicisse, dum in templis exte-*

Qua Sacris in literis non intelligimus, suspicienda.

*riores hæ carimonix frequentarentur, fideique mysteria decantarentur: quibus firmissimum semper adhibebat assensum, licet ea intellectu conspiciere non posset; animaduertens præsertim quamplurima in rebus humanis fieri cernique quotidie, quorum nulla ratio dari possit, quæ tamen non nisi temerè negantur. Quare;*

Videli. 21. De Ciuit. Dei.

*Demus,*

Demus, inquit, Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse. In talibus tota ratio facti est potentia facientis. Illa est laus fidei, non visa credere; premium erit intelligere, ac creditorum possessione gaudere.

Eodem lib.  
cap. 7.

## CAPVT VII.

S. Augustinus roboratur miraculis in fide, quæ Mediolani contigerunt; ubi & B. Simpliciani sodalibus viuendi regulam tradit.

CVM in hisce rebus fidei iam antè non leuiter instructus esset, maximopere confirmatus est occasione sanctorum corporum Geruasij & Protasij; quæ Dei monitu cum essent reuelata, pluribus per id tempus miraculis coruscabant. Complures enim energumeni liberabantur, & frequentes ægri sacrarum vestium tactu sanabantur, ac inter ceteros, ciuis quidam Mediolanensis totâ vrbe notissimus, cæcitate liberatus fuit. Quanta, inquit, oraria iactitantur! quanta indumenta super reliquias sacratissimas, ut tactu ipso medicabilia reposcuntur! Gaudent omnes extremâ lineâ contingere, & qui contigerit, saluus erit. Tanta gloriæ, inquit, Martyrum ego etiam testis fui, memorabilia facta noui in viri innocentis & fidei Catholicæ præsidium, aduersus hæresis femineam, sed regiam rabiem,

Lib. 9. Confess. cap. 7.

Varia per  
sacras Di-  
uorum reli-  
quias mi-  
racula.

Ambros.  
epist. 85.

Lib. 22. De  
ciuit. Dei  
cap. 8.

in omnibus quidem sibi subditis prouincijs, at Mediolani maximè fauientem.

Hac in vrbe dum Augustinus moras traheret, duo memoratu digna contigerunt, quæ in hunc modum ipse describit: *Pro-  
scholos pauper inuenit sacculum (nisi forte  
numerus me fallit) cum solidis ferè ducentis:  
proposuit pitaciũ publicè. Qui solidos perdi-  
dit, veniat ad locum illum, & querat homi-  
nem illum. Ille qui plangens circumquaque  
vagabatur, inuento & lecto pitacio, venit ad  
hominem. Et ne fortè quæreretur alienum, que-  
sivit signa, interrogauit sacculi qualitatem,  
sigillum, solidorum etiam numerum: & cum  
omnia ille fideliter respondisset, reddidit quod  
inuenerat. Ille repletus gaudio, & querens  
vicem rependere, tamquam decimas obtulit  
solidos viginti; qui noluit accipere: obtulit  
vel decem; noluit accipere: saltem rogauit  
vt vel quinque acciperet, noluit ille. Stoma-  
chabundus homo proiecit sacculum: Nihil per-  
didi, ait: si non vis aliquid à me accipere, nec  
ego aliquid perdidi. Quale certamen fratres  
mei! quale certamen! qualis pugna! qualis con-  
flictus! Theatrum mundus, spectator Deus.  
Victus tandem ille, quod offerebatur accepit,  
continuo totum pauperibus erogauit, vnum  
solidum in domum suam non dimisit. Hæc  
ipse. Secundum verò, quo docemur defun-  
ctos*

Serm. 19.  
de verbis  
Apost.

Mirabile  
duorũ circa  
inuentum  
marsupium  
certamen.



Etos nostra nouisse atque curare, ita refert:

Pro certo, cum Mediolani essemus, audiuius, quod cum debitum repeteretur à quodam, defuncti patris cautione prolatâ, quod filio nesciente à patre iam fuerat persolutum: contristari homo grauissimè cœpit, atque mirari quod ei pater moriens non dixerit quid deberet, cum fecisset etiam testamentum. Tunc ei nimis anxio apparuit idem pater eius in somnis, & ubi esset repositum, quo illa cautio vacuata fuerat, indicauit. Quo inuento, iuuenis non solum falsi debiti calumniam propulsauit, sed etiam paternum recepit chirographum, quod pater non receperat, quando est persoluta pecunia. Hic itaque putatur anima hominis curam gessisse pro filio, & ad eum venisse dormientem, ut docens quod ignorabat, à magnâ molestiâ liberaret. Hæc Augustinus: qui familiariter ibi aliquamdiu præter sanctum Ambrosium, vsus est B. Simpliciani consuetudine, & sodalium eius, Deo concinentium, vocibus & cordibus, & in monasterio conuiuentium, non secundum certam aliquam normam, sed secundum suammet ipsorum conscientiam. Hanc ob causam venerabilis ille senex Augustinum rogauit, ut scripto sibi suisque traderet aliquam viuendi normam, quæ veterum monachorum viuendi consuetudini foret ac-

Lib. De cura pro mor. cap. 11.

Lib. 9 Cōfess. cap. 7.

Sigebertus in Chron.

138 DE VITA D. AVGVSTINI  
commoda: quod quidem Augustinus ei li-  
bens præstitit: ac vicissim Simplicianus &  
collegæ quibuscum viuebat, continuò se  
Augustini Regulæ subiecerunt.

CAPVT VIII.

*S. Augustinus proficiscens per deserta Etru-  
riæ, apud Eremitas subsistit. Item pueruli  
apud mare apparitio.*

B. Iorda-  
nus lib. 1.  
Vitasfr.  
cap. 14.  
P. Ribadi-  
neira in  
Virâ,

Plin. lib. 2.  
Epistolar.  
P. Bergo-  
mensis l. 11  
Supplem.  
Volater. &  
alij.

**A**RBITRATVS autem Augustinus, in  
patriâ commodiùs Deo vacare se pos-  
se, matris precibus etiam accedentibus,  
Romam versus itineri se accingit; & vale-  
dicto amicis, in primis Simpliciano & Am-  
brofio, ab eisq; benedictione obtentâ, pro-  
ficiscitur cum Alipio & Euodio per deserta  
Etruriæ, quæ alij vocant Montem Pifa-  
num. Quibus in locis cum velut suauissi-  
mum odorem sanctitatis percepisset Ere-  
mitarum illorum qui inibi morabantur, ad  
eos cupidè deflexit, inuenitque complures  
in eis partibus, quas Centumcellas vocabât  
(erant autem centum Iudicum totidem  
cellæ, quas Adrianus Princeps ædificandas  
curauit ad audiendum se præfente cæussas)  
sanctimoniâ vitæ insignes. Inter hæc ædifi-  
cia iam diruta viuebant ijdem viri religiosi,  
qui Augustinum doctrinâ & sanctitate  
multò sibi antè notum (vt suprâ ex Petrar-  
châ

châ & aliis demonstratum est) amictum veste religiosâ, similiter & ipsi vestibus induti monasticis, honore magno receperunt. Qui talium virorum consuetudine, suæ non absimili, multum delectatus, longiores apud eos moras traxit; vt Martinus Quintus<sup>a</sup>, Gerson<sup>b</sup>, & Mantuanus<sup>c</sup> de eodẽ testatur: loquens enim de S. Augustino, ait:

— memoratur eremum

*Incoluisse maris Thusci prope littora centum  
Cellarum, quâ vicus erat, Tyberina petiuit  
Ostia.* —

Vacabat hîc meditationi, commentationi, & librorum, præsertim de sanctissimâ Trinitate, scriptioni. In cuius mysterij profunditatem raptus cum aliquando circa littus versaretur, ferunt ei puerulum apparuisse, cochleari conantem mare totum exili includere alueolo: ad quem cum Augustinus, velut puerile & impossibile subrideret, puer magis impossibile respondit esse, immensum mare mysteriorum Dei, adeoque sanctissimæ Trinitatis immensitatem ambitu humani ingenij, quantumlibet capacis, arctare. Quare hoc sublimi opere tunc intermisso, totum se sanctitatis exercitiis, vnâ cum collegis & Eremitis ibidem dedit: *Simul, ait, eramus, simul habitabamus, placito sancto remoti à turbis.*

<sup>a</sup> Serm. de  
Translat.

S. Monicę.

<sup>b</sup> Serm. de  
Circumcis.

<sup>c</sup> Lib. 8. De  
sacris die-  
bus.

Volaterra-  
nus.

Lib. 9. Cõ-  
fess. cap. 8.

& 10.  
Licent.

Epist. 39.  
apud D. Au-  
gustin.

CA-

## CAPVT IX.

*S. Augustinus Diuorum reliquias, & cœnobis  
sanctorum Romæ inuisit.*

Apoc. 2.

S. Antonin.  
par. 3. t. 24.

Aeneas  
Siluius  
ætatē 6.

*S. Augusti-  
nus Diuorū  
reliquias,  
& loca sa-  
era Romæ  
inuisit.*

Lib. 1. Re-  
tract. cap. 7  
& 9.

OPPORTVNITATE verò oblatâ in Africam nauigandi, quoad potuit hosce religiosos Eremitas in sanctioris vitæ proposito confirmauit, & vt ne de primo spiritus seruore remitterent, admonuit; Episcopum enim Ephesi maledictioni obnoxium fuisse, quòd charitatem primam reliquisset: pergerent potius in dies, vt perfectionis religiosæ præstantiam assequerentur. In quem finem eis quoque Apostolicam viuendi regulam dedit. Ac non ita multò post Romam allapsus, cum matre sociisque fratribus, Diuorum reliquias, ac loca sacratoriâ, frequens ac venerabundus inuisit. Ibi etiam vsque ad sequentis anni tempus nauigationi commodum diuersatus, complura utiliter scripsit, vt ipse fateatur: *Romæ cum essem, nec ferre tacitus passem Manicheorum iactantiâ, de falsâ & fallaci continentia vel abstinentia, quâ se ad imperitos decipiendos, veris Christianis, quibus comparandi non sunt, insuper præferunt, scripsi duos libros, vnum De moribus Ecclesiæ Catholicæ, alterum De moribus Manicheorum. Scripsit & Dialogum de animâ, item librum*

brum De libero arbitrio, cuius secundum & tertium in Africâ Presbyter absoluit. In eodem libro De moribus Ecclesię Catholicę, quę Romę obseruauerit sanctorum virorum collegia, magnâ cum voluptate sic describit: *Roma etiam plura cognoui* ( diuersoria sanctorum ) *in quibus singuli grauitate* atque prudentiâ, & diuinâ scientiâ præpollentes, ceteris secum habitantibus præ sunt, Christianâ caritate, sanctitate & libertate uiuentibus. Ieiunia etiam prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus ( quod est vsquequaque vsitatissimum ) sed continuum triduum vel amplius sæpissimè sine cibo ac potu ducere. Neque hoc in uiris tantum, sed etiam in feminis, quibus item multis uiduis & uirginibus simul habitantibus, & lanâ ac telâ victum querentibus, præ sunt singula grauisima probatissimæq; non tantum in instituendis componendisq; moribus, sed etiam instruendis mentibus perita ac parata. Atque inter hæc nemo urgetur in aspera qua ferre non potest, nulli quod recusat imponitur: nec ideò condemnatur à ceteris, quòd in eis se imitandis fatetur inualidum. Hæc ibi Augustinus. Hunc uiuendi morem ut vidit, vehementer approbavit, & ad imitandum exarsit. Didicit insuper, plebem Romanam

Cap. 33.

Epistol. 85.  
ad Casulanum.

tribus

tribus hebdomadæ diebus, nimirum, feriâ quartâ, feriâ sextâ, & Sabbato (quod in patriâ deinceps est imitatus) solere ieiunare.

## CAPVT X.

*S. Augustino in Africam nauigaturo, D. Monica in Ostijs Tyberinis moritur, rogans sui memoriam ad altare fieri.*

**H**ic itaque cum hiemem traduxisset, opportunâ nauigatione factâ, descendit ad Ostia Tyberina: vbi dum ventum opperitur in Africam nauigantibus idoneum, quadam die ipse & mater eius Monica incumbentes soli ad quamdam fenestram, vnde hortus prospectabatur, colloquebantur valdè dulciter de futurâ vitâ Sanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: & inhiabant ore cordis pariter in superna fluenta vite: vilescibatq; ad eò eis inter verba mundus iste cum omnibus delectationibus suis, vt præ illius vite incunditate, non comparatione, sed ne commemoratione quidem dignus videretur.

Lib. 9. Cõ-  
fess. c. 10.  
& 11.

*D. Monica  
morti vicini  
na pro ani-  
ma sua re-  
frigerio post  
mortem of-  
ferri preces  
rogat.*

Præsentens verò Monica, mortem sibi imminere, Ponite, inquit, hoc corpus ubicumque; nihil vos eius cura conturbet: tantum illud vos rogo, vt ad Domini altare meminertis mei, vbi fueritis. Exoptabat namque sanctissima

Stiffima femina id sibi exhiberi, quod no-  
 uerat auitâ consuetudine seruari in Ecclesiâ  
 Catholicâ, vt nimirû in sancto Missæ sacri-  
 ficio, cum Sacerdotes, tum alij qui eidem in-  
 ter essent, pro Defunctorû salute Deo pre-  
 ces offerret. Et post nōnulla: *Illis* (prosequi-  
 tur Augustinus) *stupentibus virtutem femi-  
 nae, quarentibusq; utrûm non formidaret tam  
 longè à suâ ciuitate corpus relinquere? Nihil,*  
*inquit, longè est Deo, neq; timendum est ne ille  
 non cognoscat in fine seculi, vnde me resusci-  
 tet. Ergo die nono aegritudinis suæ, LVI. eta-  
 tis suæ, XXXV. etatis meæ, anima illa reli-  
 giosa & pia corpore soluta est,* quarto Nonas  
 Maij, receptura præmium immortalitatis  
 in cælo, quod piè hîc viuendo meruerat.  
 Decuit namque ipsam voti compotem ef-  
 fectam baptizato filio, vnâ cum Angelis,  
 quibus est gaudium super vno peccatore  
 pœnitentiam agente, in cælorum regno  
 gaudere, & in Romano littore potius,  
 quàm in Africâ relinquere sacri corporis  
 exuias: quas deinde Romam apportatas,  
 Ecclesia Romana dignis prosequeretur ho-  
 noribus, & cum Vrbe orbis totus in eiuf-  
 dem filij cœnobio veneraretur. Persoluit  
 nihilominus Augustinus iusta animæ ma-  
 tris suæ, more videlicet Christianorum,  
 quo, vt ait, consuevit, antequam corpus in-  
 teratur

Lib. 9. Cō-  
 fess. cap. 12  
 Vide & lib.  
 Decurâ pro  
 mortuis  
 cap. 1. &  
 Enchirid.  
 cap. 90. &c.

feratur sepulcro, pro animâ offerri sacrificiū Corporis & Sanguinis Christi, quod dicebatur pro delictis fieri hominis defuncti, scilicet ne à contrariis potestatibus anima detineretur. Quantopere autem luxerit mortem matris, eiusce verbis visum est subijcere: *Premebam oculos eius, & confluebat in præcordia mea mæstitudo ingens, & transfluebat in lacrymas, ibidemq; oculi mei violento animi imperio resorbent fontem suum, usque ad siccitatem. Et in tali luctamine valdè malè mihi erat, neque decere arbitrabamur funus illud questibus lacrymosis gemitibusq; celebrare: quia his plerumque solet deplorari quædam miseria morientium, aut quasi omnimoda extinctio. At illa nec miserè moriebatur, nec omnino moriebatur: hoc & documentis morum eius, & fide non fictâ rationibusq; certis tenebamus. Quid ergo erat quod intus mihi graviter dolebat, nisi ex consuetudine simul viuendi dulcissimâ & carissimâ repente disruptâ vulnus recens? Gratulabar quidem testimonio eius, quod in eâ ipsâ egritudine ultimâ obsequijs meis interblandiens, appellabat me pium, & commemorabat grandi dilectionis affectu, numquam se audiuisset ex ore meo iaculatum in se durum aut contumeliosum sermonem. Sed tamen quid tale Deus meus qui fecisti nos, quid comparabile*



parabile habebat honor à me delatus illi, & seruitus ab illâ mihi? Quoniam itaque deserebar tam magno eius solatio, sauciabatur anima mea; & quasi dilaniabatur vita, quæ una facta erat ex meâ & illius.

## CAPVT XI.

*D. Augustinus venit in Africam, patrâtque ibi miraculum.*

**I**GITUR cùm Christiano ritu patri parentasset, factâ nauigatione, Carthaginem appulit, ibique susceptus est hospitio ab illustri viro Innocentio, exaduocato vicariæ præfecturæ, per id tempus grauius ægrotante. Quod autem miraculum patrauerit clementissimus Deus Augustini intercessione, visum est commemorare: *Venientes, scribit, de transmarinis me & fratrem meum Alipium, nondum quidem Clericos, sed iam Deo per Religiosæ vitæ obseruantiam seruietes, ut erat cum totâ domo suâ religiosissimus ipse, susceperat, & apud eum tunc habitabamus.* Cui eidem Innocentio affecto grauissimis doloribus vlcerum manantium ac sinuosorum (quæ numerosa atque perplexa habebat in imâ corporis parte, & Medici fistulas appellant) iamque tremendis ferramentis secando, ac inter Medicorum manus se moriturum vix du-

Lib. 22. De  
ciuit. cap. 8.

Miraculū.

K bitanti,

bitanti, genua figentibus ex more, atque incumbentibus terra Augustino & sodalibus, orationemque breuissimam quidem, sed affectu calido fundentibus, ex insperato salus integra diuinitus est restituta.

## CAPVT XII.

D. Augustinus monasticum institutum ex Italiâ infert in Africam, ibidemque exercet constructo tuguriolo.

**I**NDE cum Alipio & Euodio, boni omnis comitibus (prior à tristitiæ absentia seu indolentiâ, posterior à boni odoris fragrantia dictus videtur) natale solum reuifens, monasticum vitæ statum (prout inter eos conuenerat, dum in Italiâ degerent) exercere cœpit, secedens non procul à Tagastâ, ibidemque rure triennium permansit. Principio enim reditus sui in patriam, quod ex facultatibus parentum supererat, diuendit Augustinus, & ex eo partem quidem dedit Christi pauperibus, parte vero alterâ sibi sociisque tuguriolum in eremo construxit, & ibi cum fere centum religiosiis fratribus vitam Monachi traduxit: quam multis parasangis dicit antestare libertati Clericorum, qui inter sæculares degunt. *Hos, enim, agere ubi viuere discitur, illos ubi uiuitur.* In quibus autem pietatis officiiis

q. αλύπος.

Baron. t. 4.  
ann. 389.

& t. 5. 395.

Theatrum  
vitæ hum.

T. de ijs

qui vitam

Eremicâ

sunt am-

plexi.

Ribadineira.

Sigebertus

Epistolâ ad

Maced.

Marian. in

Regulam

S. August.

Volater.

commētar.

de Anthro-

pologiâ.

Aeneas

Siluius, &c.

officiis se potissimum exercuerit, refert Possidius: *A se iam alienatis curis secularibus, cum eis qui eidem adhaerebant, Deo vivebat, ieiunijs, orationibus, bonisq; operibus vacans, in lege Domini meditans die ac nocte; & de ijs quae Deus sibi cogitanti atque oranti intellecta reuelabat, & praesentes & absentes sermonibus ac libris doctebat.* Ceterum toto illo triennio religiosus, verum laicus, Deo feruentissime seruiuit: ac sub medium triennij quo in eremo est commoratus, scripsit, Baronio teste, librum De Magistro; duos autem contra Manicheos De Genesi: absoluit praeterea libros De Musica, & addidit Commentarium aduersus Manicheos De vera Religione. Quare illud Isaiaë 43. illustre vaticinium, *Glorificabit me bestia agri, dracones, (secundum LXX. Interpretes, sirenes, benedicent mihi)* fecit vt de se quoque, si de alio quopiam, dictum videri posset: voluptatum enim blanditijs ante delinitus, postmodum asperitatem crucis Christi in Euangelio commendatam est amplexus; & qui apud plerosq; mortales inanis sapientiae nomine tumefactus, omnia ad ingenitae rationis lumen, ac philosophiae velut perpendiculum exigenda ratus fuit, intellectum quasi captiuum tradendo, crucem gentibus stultitiam cum Apostolo est

D. Augustinus ex  
dracone  
siren.

secutus: adeoque ex dracone seu fidei ob-  
trectatore in sirenem transijt; dum vitæ  
sanctimoniâ, piis meditationibus, iugi ora-  
tione, & in primis verbi diuini prædicatio-  
ne, tamquam suauissimis vocibus, eadem  
fidei mysteria quæ prius respuebat, cecinit;  
quo simul concentu, (longè aliter quàm  
sirenes illæ, quæ in bonorum & vitæ nau-  
fragium incautos pelliciebant) plurimos  
mortales ad salutem æternam pertraxit. Ad  
quam vt ipse, compluresque alij; velut in-  
genti meritorum merce securius perueni-  
rent, cœnobiticæ militiæ vexillum (sub  
quo iam antè militabat) Dei impulsu no-  
uum ibi erexit. Est enim illa in opportuni-

*Quouis auo  
Ecclesia sua  
Deus suffi-  
cit duces  
nouos cõtra  
nouos hostes*

*Societas  
IESV.*

tate adiutoris Dei benignitas, vt Ecclesiæ  
hæreticorum furoribus oppugnata, quouis  
auo de nouo duce, deque nouâ Religioso-  
rum hominum societate prouideat; ac de-  
ficiente vno, repentè sufficiat alterum: vt  
pænè nostro sæculo factum videmus; quo  
cum pestilentissimorum sectariorum ex-  
trema debaccharetur in Catholicos insa-  
nia, peropportunè de inani militiâ sæculi  
huius, ad spiritualis vitæ militiam traduxit  
B. Ignatium Loyolam, qui lectissimos mi-  
lites in vnum ordinem religiosum coëgit,  
verbo & exemplo Catholicam fidem stre-  
nuè defendentes, adeoque planè diuerso  
hære-

hæreticis more, in Romani Pontificis verba iurantes. Sic cùm Albigenfes pacis turbatores Ecclesiam Christi depopularentur, tum veluti de cælo submissi fuere duo præstantissimi duces Franciscus & Dominicus, qui stupendâ vitæ sanctimoniam doctrinâque, cùm per se tum per sui imitatores opem mundo laboranti attulere. Sic denique, vt ad institutum redeamus, dcc: circiter annis antè, cùm grassarentur hæreses Arii, Manis, Pelagij & Donati, in tantum vt diuorum Pauli, Antonij, & Hilarionis sectatores, in absurdos errores, præsertim Origenis prolaberentur, instigante in primis Euagrio, homine malitiosissimo, submissus est Ecclesiæ laboranti in auxilium D. Augustinus, tamquam dux inuictus, qui & Religiosus esset, & religiosi cœtus existeret institutor, qui errantes ad veritatem reuocare doctrinâ suâ posset, qui hæreticorum audaciam reprimere, eosque scriptis conuincere, qui veros Catholicos ad maiorem sanctitatem inflammare valeret, qui deinde lapsis emendationem vitæ persuadere posset, ac orbem vniuersum ad auream primitiuæ Ecclesiæ excellentiam reducere conaretur, & suo & collegarum exemplo non antè in Africâ vsitato.

*DD. Franciscus & Dominicus strenui Ecclesiæ duces.*

Baron. anno 388.

## CAPVT XIII.

*S. Augustinus ad interiora deserti secedit, Sacrarum literarum lectioni penitus vacat, & Christum hospitio recipit.*

*Sigebertus  
& Volater.  
suprà.*

*Rerum di-  
uinarum  
commenta-  
tio utilis.  
Serm. 112.  
De temp.*

CVM sanctimonix ac doctrinx fama Augustini per Africam longè lateque propagaretur, non pauci mortales consolationis ergò & consilij, de rebus fidei ad eum referebāt. Quod cum non mediocriter religiosam eius quietem interturbaret, à prior loco quem incoluerat, secessit ad interiora eiusdem deserti, prope montem quemdam asperum, qui duo millia passuum inde aberat, quo difficilior aditus ad eum esset. Quem etiam velut antesignanum sunt prolecuti religiosi Fratres, destitui nolentes tanti viri præsentia, ac circumcercà veluti castra metantes, omni sanctitate refulsere: quos idemtidem Augustinus ipse visitans in Deo animauit, & spiritualibus deliciis refecit. Hoc in loco eorum fere quotidianum erat exercitium, frequentes preces, diuinarum rerum contemplatio, & S. Scripturæ lectio, *quæ diuina est pars & præcognitio non parua beatitudinis. In his quasi in quodam speculo homo seipsum considerare potest qualis sit, vel quò tendat. Lectio assidua purificat omnia, timorem incuit gehenna,*

*henna, ad gaudia superna cor instigat legentis. Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare & legere. Nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur: cum verò legimus, Deus nobiscum loquitur. Geminum confert donum lectio SS. Scripturarum, siue quia intellectum mentis erudit, siue quia à mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit. Labor honestus est lectionis, & multis ad emendationem animi proficit. Sicut enim ex carnalibus escis alitur caro, ita ex diuinis eloquijs interior homo nutritur & pascitur, sicut ait Psalmista: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, super mel & fauum ori meo. Sed & ille beatissimus est, qui diuinas Scripturas vertit in opera.*

Inter hæc pietatis exercitia, etiam hospitalitatem quoad potuit beneuolentissimè semper exhibuit; adeò vt etiam domicilio ac cellulâ hospites exciperet, memor in eis se Christo ipsi ministrare. Vnde referunt D. Prosper & Ferdinandus ab Hispaniâ, Ioannes Mabumeus, & alij, contigisse Augustino, quod paucis mortalium euenisse legimus. Cum enim die quadam in meditatione rerum diuinarum exardesceret, fores cubiculi, in quo tumerat, pulsauit hospes quidam, longo, vt videbatur, itinere pene confectus: quem Augustinus pro suo

Prosper &  
Ferdinan.  
Serm. de  
S. August.  
Mabum.  
in roset.  
t. 20. al-  
phab. 47.

in Deum proximumque amore, misericorditer amplexatus, sedere iussit, pedesque eius magnâ cum animi demissione lauit, & pro amore suo fuit deosculatus. Quâ humanitate exhibitâ, peregrinus se detexit, & velut gratias reddens, ei dixit; *Magne Pater Augustine, Filium Dei in carne hodie videre meruisti, tibi comendo Ecclesiam meam.* Quo dicto, statim disparuit, & D. Augustinus non mediocriter attonitus, pro tantâ familiaritate, tamque manifeste receptis ab eo beneficiis, copiosè gratias egit.

## CAPVT XIV.

*S. Augustinus Hipponem venit construendâ Monasterij causâ, ibique, licet inuitus, Sacerdotio initiatur.*

Baron. t. 4.  
anno 389.  
& ann. 391.

CVM autem tam religiosæ conuersationis odor longiùs se diffunderet, adeoque Syneremitarum numerus in dies accresceret, ex eremo perrexit Augustinus Hipponem (quæ nunc Bona dicitur) ut cum Patritio quodam vrbs ciue tractaret de monastico instituto & monasterio, cuius spem adipiscendi hic ei fecerat. Erat autem vir locuples admodum, incensus Augustinum videndi desiderio, quòd ex eius ore diceret audire se velle consilia Evangelica, dein se suaque bona omnia Deo consecr-

P. Ribadineira in Vita S. P. Augustini.



secrare. Nec Augustinum res ea latebat, qui modis omnibus hominem ad suum cœnobium pertrahere nitebatur. Quod ubi rumor sparsit, Catholici Hipponenses, quibus de insigni eius eruditione constabat, cum forte auditoribus (Valerio urbis Episcopo de prouidendo ciuitati Parocho verba faciente) astaret Augustinus, eum nihil tale suspicantem, quantumuis reluctaretur, sacrâ quadam vi (qui mos obtinebat eo tempore) tenuerunt, & eundem Antistitem, ut sacerdotio vellet Augustinum initiare, rogauerunt, quod & fecit Valerius, & Augustino mox initiato suam Ecclesiam beneuolo affectu credidit; quod vir ætate grauis, & Latini sermonis imperitior non semel Deum rogauerat, ut talem adiutorem Episcopalis officij nancisceretur. Augustino verò penitus è diuerso res ea grauissima visa fuit: nam periculi plenam præfecturam non ignorabat, ideoque plurimum lacrymabatur, quod tam repente tamque impræmeditatò ad eam dignitatem Ecclesiasticam peruenisset; cum antè deditâ operâ consueuisset vitare loca seu ecclesias, ubi vel minimum periculum acquirendi huiuscemodi muneris impenderet: *Locus enim, ait, superior, et sita teneatur & administratur ut decet, tamen inde*

K 5

cen-

Possid. c. 2.  
4. & 5.Augustin.  
Epist. 225.  
ad Albinâ.Augustin.  
Epist. 148.  
ad Valeriũ.Lib. 29. De  
Ciuit. c. 19.Honores  
nullatenus  
ambiendi.

center appetitur. Quamobrem otium sanctum  
 quarit caritas veritatis, negotium iustum  
 suscipit necessitas caritatis. Quam sarcinam  
 si nullus imponit, percipiendae atque intuen-  
 da vacandum est veritati. Si autem imponi-  
 tur, suscipienda est propter necessitatem cari-  
 tatis. Hanc sibi impositam deprecatur apud  
 Valerium, obsecrans ut patiatur se precibus  
 ac studio in suo secessu vacare, donec im-  
 posito muneri idoneus reperiatur: affirmat-  
 que nihil esse in hac vita difficilius, laborio-  
 sius, periculosiusque Ecclesiastico officio, sed  
 apud Deum nihil beatius, si eo modo milite-  
 tur, quo Imperator iubet. Quis autem, in-  
 quit, iste sit modus, non didici: & eo tempore  
 quo discere coeperam, vis mihi facta est, meri-  
 to peccatorum meorum (nam quid aliud exi-  
 stimem, nescio) ut secundus gubernaculorum  
 locus mihi traderetur, qui remum tenere non  
 noueram. Et hinc erant lacrymae illae, quas me  
 fundere in ciuitate (videtur ex eremo ista  
 scribere) ordinationis meae tempore nonnulli  
 fratres animaduertunt, quod periculosissi-  
 mum iudicarem hoc ministerium. Suo vero  
 iudicio se ratus imparem tanto officio, ad-  
 dit: Iubes ergo ut peream, Pater Valeri? ubi  
 est caritas tua? Quid responsurus sum Do-  
 mino Iudici? Miserearis mei.

Epist. 148.  
 ad Valer.

NOTA.

Periculosa  
 praefectura,  
 praesertim  
 dum am-  
 biuntur.

CA-

## CAPVT XV.

*S. Augustinus Presbyter factus Monasteria  
construit, Fratribusq; Regulam scribit ad  
viuendi modum Apostolicum rectissime  
compositam.*

**P**LURA nequidquam dicit in hunc sen-  
sum: nam nolens volens hoc onus Ec-  
clesiasticum suscepit, & suos in solitudine  
collegas deserere est coactus, quos tamen  
& sæpenumerò reuisit, simulque ac sacer-  
dotio est insignitus, Monasterium in horto  
cuius illius Hipponensis, propter quem ex  
eremo istuc venerat, ædificauit: quo in lo-  
co ipse sacris initiatus, cum eiusdem voti  
& S. Ordinis sodalibus, optimis à sese con-  
ditis legibus, vitam attemperauit. Et an-  
teà quidem propè Tagastam, sicut & in  
Italiâ, Apostolicam viuendi methodum si-  
ne proprio, in castitate, & voluntariâ obe-  
dientiâ obseruârat; sed citra Regulam, vt  
aiunt, scriptam vel Ecclesiasticâ auctorida-  
te approbatam; quâ Regulâ in Hipponensi  
monasterio primùm fuit vsus. Poterat enim  
tunc minor numerus faciliùs regi, ideoque  
priuatâ seu publicâ monitione Augustinus  
ad suos utebatur, quemadmodum ad filios  
pater, adque discipulos magister habet: erat  
enim Augustinus etiam tum laicus, & laici  
hi

Possid. c. 5.  
Vitæ.  
Augustin.  
ier. 49. De  
com. vitâ  
Cleric.]

hi quibus præerat: nec enim tunc in more erat, vt Religiosi promiscuè sacris Ordinibus initiarentur, vt patet cap. A Subdiacono, & 16. q. 1. c. Generaliter. At multitudine crescente, & se per plura monasteria diffundente, rationi fuit consonum, has leges scripto mandari: quod reapse præstitit, componens exaransque sui sequacibus Dei seruis auream viuendi Regulam, cuius hoc est initium: *Ante omnia, fratres carissimi, diligatur Deus, deinde proximus.* Hæc est prima & princeps illa Regula, quæ dilapsam Apostolicæ communionis obseruantiam, in Ecclesiam postliminiò reuocauit. Hæc, inquam, quæ modum perfectè Deo viuendi docet: hæc eadem ex intimâ medullâ Apostolicæ perfectionis desumpta, auxilio fuit deinceps D. Benedicto atque ceteris Ordinum religiosorum auctoribus, qui non pauca ex D. Augustini Regulâ in suas leges transtulere: estque hæc eadem viuendi norma visa omnibus cum modesta & religiosa, tum percommoda & obseruatu facilis, quando nec nimis arcta suis præcipit, neque rursus nimis laxa permittit. Quam propterea complures sacri Ordines sunt amplexi, qui omnes D. Augustinum pro parente suo Principeque, necnon eiusdem Regulæ conditore, lubentes agnoscunt; vt testatur

P. Ri-

B. Iordan.  
lib. 3. Vi-  
ta-fra. c. 3.

Regula  
D. Augu-  
stini ex me-  
dullâ Apo-  
stolica per-  
fectionis  
desumpta,  
aurea, tem-  
perata, fa-  
cilisq; est.

P. Ribadineira, Vincentius Bellouacensis, Ambrosius Coranus, Nicolaus ab Alexandria, Hugo à S. Victore, D. Bernardus, & ceteri. Confirmat id denique Ordo candidus apud L. Surium 6. Iunij, in Vita sancti Norberti, cui de *Regulâ studiosius indaganti B. Augustinus corporali specie apparens, auream Regulam à dextro prolatam latere porrexit*, seq. *luculento sermone ei intimavit, dicens: Quem vides, Augustinus ego sum, Hipponensis Episcopus: ecce habes Regulam, quam ego scripsi, sub quâ si benè militauerint confratres tui filij mei, adstabunt securi in extremo iudicij terrore.* Fuit id fortè etiam præsignificatum, quando Monica longè ante conuersionem, filium suum Augustinum stantem vidit, non in horto humiue, aut pergulâ vnâ aliquâ, sed super regulâ ligneâ; quasi demonstraretur eum sacris mysteriis Catholicorum initiatum, monasticam vitam, & Regulam sanctioris vitæ aliis esse daturum.

Hanc Regulam, utpote ab ipsomet Augustino conditam agnoscit, suaque auctoritate dat Ecclesia, eademque pro tali passim ab omnibus recipitur, ac sub ipsius Augustini nomine distinguitur per varias periodos in Decretis, 12. q. 1. c. Non dicatis. c. Nolo. c. Certè, &c. atque adeò Pontifices

In Vita  
S. Aug.  
Li. 19. c. 44  
In defenl.  
In recopil.  
Lib. de pre-  
cept. &  
dispens.  
In Appen.  
Vitæ sancti  
Norberti,  
cui diuus  
Augusti-  
nus appa-  
rens aureâ  
porrigit  
Regulam.  
Securi erũt  
in iudicio  
observato-  
res Regula  
S. P. Au-  
gustini.

Quinquaginta circiter Ordines militant sub Regula S. Augustini.  
Eccles. 50.

fices & Scriptores Romani mentionem eius facientes, D. Augustini Regulam vocant. Hanc eandem quinquaginta circiter religiosæ familiæ etiamnum hodie sequuntur. Quamobrem optimo iure de eodem sanctissimo Præsule canitur: *Circa illum corona fratrum, quasi plantatio cedri in Libano.* Famosissimum olim erat Homeri sepulcrum, in cuius circuitu septem vrbes inerant sculptæ, quæ de eius natali decertabant solo; vnde illud tritum:

Franciscus Ardentius.

*Septem vrbes certant de stirpe insignis Homeri,  
Smyna, Rhodos, Colophon, Salamin, Ios,  
Argos, Athenæ.*

At sanè illustrius est S. Augustini monumentum, circa quod non decertantes inter sese, at gloriâtes potiùs de tam insigni Principe, reperiuntur quinquaginta circiter Religiones, quæ parentem suum vndique coronant, tantâ Sanctorum frequentia, tot virorum celebrium multitudine, tot infulis sacrisq; vestibus (habitus vocant) Christi Seruatoris, ac sancti Spiritus diuorumq; Ioannis, Iacobi, Lazari, Stephani atque plurium, qui suis (vt ita loquar) signis regis atque armis distincti, tum ducem suum Augustinum, tum seipsos nobilitant. Qui etiam velut in triumphū prodeuntes, Me-

dio.

diolani apparuere B. Veronicæ Augustinia-  
 næ, in monasterio S. Monicæ virgini Deo  
 sacræ, teste Isidoro de Iffolanis Dominica-  
 no, his ferè verbis: *Diuus Pater Augustinus*  
*Pontificio habitu ornatus, inter S. Nicolaum*  
*Tolentinatem & Guilielmum sacerdotali mo-*  
*re indutos procedebat, mitrâ plurimo auri,*  
*gemmarum, & lapillorum pretiosorum splen-*  
*dore coruscante, ediculam auream incredibili*  
*ornatu manu gestans. Hos primùm sequeba-*  
*tur Eremitarum numerus copiosus, deinde*  
*Canonici regulares albis vestibus induti, post*  
*quos turba magna diuersorum Religiosorum,*  
*sub diui Augustini ductu militantium.*

Lib. 3. De  
 Vitâ S. Ve-  
 ronicæ.

Visus S. Au-  
 gustinus cõ  
 ingenti tur-  
 bâ sub ip-  
 sius ductu  
 militantiõ  
 Religioso-  
 rum.

## CAPVT XVI.

*Veneranda Ordinis Fratrum Eremitarum di-  
 ui Augustini antiquitas, & approbatio.*

**E**ST hinc cuius procliue dispicere genui-  
 nam D. Patris Augustini sobolem; ad-  
 hæc ipsius Regulæ & Eremitarum Augu-  
 stinianorum venerandam antiquitatem:  
 cui tamen quidam non rectè detrahere co-  
 nantur propter approbationem Romano-  
 rum Pontificum, quam postea tantummo-  
 dò secutam fuisse arbitrantur: atque ex eo  
 nituntur colligere, sub annum Domini-  
 cum M. CC. L. vel M. CC. XL. Pontificibus  
 Alexandro vel Innocentio IV. Ordinem  
 Ere-

Eremitarum cœpisse. Verùm multò est antiquior hæc Augustiniana sodalitas, quæ in hodiernum vsque diem perseverat. Illud enim posteriorum quorundam Pontificum diploma ab hinc paucis retrò sæculis, potiùs fuit approbatio diuersarum congregationum, vt vocant, sub vno Capite, quàm vel Regulæ vel Ordinis ipsius prima confirmatio: quæ, adhuc viuente Augustino, facta est per Valerium Hipponensem Episcopum, qui in eiusce rei finem de horto suo perbenignè Augustino & sociis eius accommodauit. Poterat namque quiuis Episcopus, iuxta Concilij Chalcedonensis c. 4. declarationem, circa annum Domini cccc. li. nouam Religiosorum societatem approbare. Comprobata insuper fuit anno cccc. iij. ab Innocentio I. Sixto III. Leone I. & aliis subsequentibus Pontificibus, qui eam variis priuilegijs honorarunt: & vel hac ratione, iuxta Gersonium, sufficientem approbationem præstitère; quæ tamen expressa per id tempus necessaria non erat. Vnde Bellarminus de monachis agès, *Antonius, inquit, Basilius, & Augustinus, auctores Religionum fuerunt, nec vllam leguntur à Pontifice approbationem quasiuisse, propterea quòd nondum extaret ius Ecclesiasticum id præcipiens.* Fuit tamen in Concilio

Sub annum 452.  
Hericus de Vimarriâ.  
Iordanus de Vitifrat. lib. 1. cap. 19.  
Iliesca li. 2. cap. 9.  
Opuscul. con. impugn. Carthuf.  
Lib. 2. c. 4.



cilio Lateranensi sub Innocentio III. anno M. C. C. X V. propter eos quos vocabant Pauperes de Lugduno, rursus Ordo noster approbatus. Ideoq; Pontifex Innocentius ante supra dictum Concilium Lateranense de hoc Ordine approbato, sentiens ac loquens lib. 1. Epistolarum, Priori cuidam Augustinianorum imperat, vt declaret excommunicatum Archiepiscopum Cantuariensem, eò quòd Priorem quemdã Augustiniani item Ordinis, post appellationem ad Sedem Apostolicam excommunicationi subiecerat. Et lib. 2. Epistolarum literis ad Episcopos Olyssiponens. & Conimbricensem anno M. C. X C I X. circa Kalend. Decembr. datis, præcipit vt cogant feminam quamdam, habitum S. Patris Augustini resumere, quòd in manibus cuiusdam Eremitæ Augustiniani castitatis votum emisisset. Diuus Antoninus asserit hanc propagationem ab ipsomet Augustino deductam, sine interruptione in sacrâ quadam simplicitate permansisse, etiam ad hoc vsq; Concilium Lateranense, in quo nequiquam fuit Ordo approbatus, vtpote qui iam floreret. Quinimò circa annum Domini M. C. C. LXXIV. Gregorius X. & Bonifacius VIII. cùm Religionum multitudinem nouarũ inhibuissent, ac declarassent suam Constitutionem

Lib. 2. Epistola ad Episcopos Olyssip. & Coimbric. dat. a. 1199. Kal. Dec.

3. p. t. 24. cap. 13.

L ad

ad alios Mendicantes non extendi, Ordinem Eremitarum S. Augustini voluerunt *in solido* (vel vt alij legunt) *in suo*, aut *solito statu permanere: quòd Generale Concilium Lateranense illius institutio praecefferit.* Ex verustissimis item & certissimis ipsius Ordinis monumentis apparet, huius nonnulla cœnobia ante Innocentium III. fundata fuisse; vt Londinense in Angliâ, an. M. LIX. In Hispaniâ Burgense, anno M. C. XLIV. Salmanticense, anno M. CC. II. In Galliâ Narbonense, an. M. CC. XX. In Germaniâ Coloniense, anno M. C. LXV. Quin & Adelheida soror Hildegardis Reginae, quæ Carolo Magno nupserat, trucidata ab Hunnis mariti & filiarum corpora, sepeliuit in Buchouienfi Augustiniano monasterio, quod pro suo in Eremitas affectu edificauerat; sicut & aliquamdiu post anno M. XLII. Canutus Angliæ Rex, allato Papiâ brachio S. Patris Augustini, multa in illius honorem monasteria per eam regionem construxit. Martinus quoque Nauarrus perhibet, D. Aurelij Augustini tempore fratres Eremitas fuisse, qui Institutoris sui Regulis vitam attemperarunt. E Bullâ denique Indulgentiarum Corrigiæ, à Leone X. circa annum Domini M. D. XII. II. Iulij editâ, clarè deducitur, hunc Ordinem ante annos

Vide infra  
Lib. 3. c. 71.

Tract. 2. de  
Regul.  
com. 4. n. 9.

nos circiter M. CC. fuisse approbatum, & à B. Augustino institutum. *Et cum inter* Lib. 3. Vi-  
*Regulas, ait B. Iordanus, approbatas antiqui-* tas frat. c. 3.  
*tus, & in Decretis canonizatas S. Augusti-*  
*ni, Basilij, & Benedicti, clarum quidem sit*  
*Regulam S. Benedicti longè aliis duabus tem-*  
*pore posteriorem esse, illarum tamen duarum,*  
*quæ alteram præcesserit, non est usquequa-*  
*que notum, cum quasi contemporany fuerint*  
*S. Basilij & S. Augustinus, licet ille pau-*  
*lulum fuerit ætate maior.*

## CAPVT XVII.

*Quibuscumque potest, auctor sit vt monasti-*  
*cum suscipiant institutum, quòd ex eo Ec-*  
*clesia percipiat ingentia commoda.*

**A**NIMADVERTERAT idem sanctissimus Pater, hanc viuendi rationem monasticam signum esse non diuinæ prædestinationis tantum, verum etiam præcipua incrementa Ecclesiæ, velut ex Martyrum sanguine, sic è religiosâ posse vitâ profluere. Hic enim crebra ieiunia, viuendi austeritas, prauarum affectionum victoria, aliaque id genus exercitia pia, cruenti vicem testimonij subeunt. *Monastica vita compendia.* Quamobrem ardentiori quantocyus studio perfectionem hanc Euangelicam amplexus Augustinus, complures habuit suæ institutionis sequaces, quos ipse

D. Angu-  
stinus om-  
nes ad Re-  
ligiosum  
institutum,  
tamquam  
ad rem ma-  
ximi pon-  
deris cohör-  
atur.

Epist. 84.  
94.

Epist. 143.  
B. Deme-  
trias suasu  
D. Angu-  
stini secu-  
lä spernens  
Christo nu-  
bit.

Ingens Re-  
ligiosa ca-  
stitatis cö-  
pendium.

vicissim ad eam tamquam rem maximi ponderis est cohortatus: sic enim in Epistola, quam scribit ad Hilarium: *Ego qui hoc scribo, perfectionem de qua Dominus locutus est, quando ait diuiti adolescenti, Vade, vende omnia que habes, &c. vehementer adamaui, & non meis viribus, sed gratia ipsius adiuuante sic facio; & ad hoc propositum, quantis possum viribus, alios exhortor, & in nomine Domini habeo consortes, quibus hoc per meum ministerium persuasum est.* Persuasit id pluribus, ac in primis nobilissimæ virgini Demetriadi, quæ dote suâ in pauperes collatâ, monasticam eius instinctu vitam & habitum est professa. Ita enim gratulabundus Iulianæ matri eius scribit: *Ministerij nostri, adiuuante gratia Salvatoris, domi nostræ tantus fructus exortus est, ut humanis nuptiis iam paratis, S. Demetrias spiritualem sponsi illius præferret amplexum, cui specioso præ filiis hominum, ad habendam spiritus uberiorem fecunditatem, nec ad amittendam carnis integritatem, virgines nubunt. Gaudeat itaque puella nobilis genere, nobilior sanctitate; quod sit per diuinum consortium precipuam in cælis consecutura sublimitatem. Est enim uberior felicitas in carne iam imitari vitam Angelorum, quam ex carne adhuc numerum augere mortalium. Imitentur eam*  
multæ

*multa femine, &c. Simili ardore persuasit*  
 Fratri Leoto perseuerantiam, quem diabo-  
 lica quaedam vexatio pænè præcipitem re-  
 troegerat, vt ea quæ reliquerat in sæculo  
 bona recuperaret. His autem verbis ad eum  
 vtitur: *Sit te Christi tironem profiteris, castra* Epist. 38.  
*ne deseras, in quibus etiam edificanda turris*  
*Euangelica. In eâ stantem, & sub armis verbi*  
*Dei militantem, nullâ ex parte penetrare*  
*ulla tentationes valent.* Et postquam quæ-  
 sisset ex eo, an fortasse mater e monasticis  
 hibernis commemorando labores quos  
 pertulisset, eum reducere vellet: *Hunc, ad-*  
*dit, carnalem affectum in nobis militia Chri-*  
*stiana vt perimamus hortatur. Habeant hæc*  
*locum, vbi maiora non vocant. Mater Ec-*  
*clesia, mater est etiam matris tuæ. Hæc nos de*  
*Christo concepit, hæc Martyrum sanguine in*  
*sempiternam lucem parturiuit. Hæc mater*  
*toto orbe diffusa, tam variis errorum infesta-*  
*tionibus agitatur, vt abortiui iam filij eius*  
*aduersus eam infestis armis belligerare non*  
*dubitent. Torpore etiam quorundam quos*  
*gremio continet, membra sua frigescere plu-*  
*rimis locis, & fouendis paruulis minus idonea* Laboranti  
*fieri dolet. Vnde nisi per alios filios, quorum* matri Ec-  
*è numero es, iustum poscit auxilium? Huius-* clesia Reli-  
*ne tu necessitates deserens ad carnalia matris* giosi potissi-  
*verba conuerteris? Nonne hæc grauioribus* mum ferus  
*suppetias.*

querelis insonat auribus? nōne hæc cariora viscera & caelestia vbera ostentat? Adde viri eius susceptionem carnis, ne carnalibus inhereres, & à Verbo eterno, vniuersa quæ tibi mater impropert, ne his implicare, assumpta.

Nulla ratione Christi militia deserenda.

Adde contumelias, flagella, mortem, mortem autem crucis. Talibus concepte seminibus, contabescis in veterem hominem? Itane matrem terrenam non habebat Imperator tuus? Quæ tamen cum nuntiaretur caelestia agenti, respondit, Quæ mihi mater, aut qui fratres? His potissimum intende, carissime frater, & tolle crucem tuam, & sequere Dominum, his te affige clavis timoris Dei, &c.

## CAPVT XVIII.

Complures sibi S. Augustinus allegit, qui dein Patris sui institutum per vniuersum orbem propagant.

Lib. 9. Confess. cap. 8.

Is qui habitare facit vnanimis in domo, **I**consociavit Augustino Euodium, qui relicta post Baptismum militiâ seculari, se militiâ Dei accinxit. Idem Euodius ad hæc Augustinianæ Religionis spiritualia castra inuitauit Alipium. Nam vt supra retulimus ex cap. 22. De ciuit. Dei, Alipius & Euodius spreto sæculo indiuidui fuere commilitones Augustini, etiam tunc cum in Italiâ degerent. In his est etiam Possidius, qui Augusti-

Complures Augustiniani instituti sectatores.

gustino se conuixisse dicit in sancto proposito, annis ferè XL. nimirum annumerando tempus omne quo Possidius ei in eremo conuixit. Nam iuxta veriores rationem, annis dumtaxat xxxvi. Episcopatum gessit. Videtur etiam D. Hilarius Arelatensis Episcopus eidem in Religione conuixisse: nam cum ad Episcopatum esset abreptus; *sufficiat* (scribit Augustino) *pæna mea, quod à presentia tuæ delicijs exulatus sim, ubi salubribus uerbis tuis nutriebar.* Vnde & ad eundem Hilarium eremi deserta petentem librum scripsit Eucherius Lugdunensis, de laudibus Eremi. Etiam verisimile est, B. Paulinum Nolanum Antistitem collegam Augustini fuisse, qui mundo ualedicens monasticamq; viuendi rationem amplectens, Alipio scribit: *Nos Deus in vestra sorte uoluit numerari.* Idem saluere iubet suos coëremitas, qui in monasterijs Carthaginensi, Tagastensi, & Hipponensi degabant. Iam verò monachi habitu indutus, scribit ad Augustinum: *Rege paruulum in terrâ reptantem, & tuis gressibus ingredi doce.* Nolo enim in me tam corporalis ortus, quàm spiritualis exortus atatem consideres, &c. Eidem Augustinianæ Regulæ vitam attemperarunt D. Prosper Episcopus Rhegiensis, & post B. Fulgentius Episcopus

Cap. ult.  
Vitæ.

Epist. to.  
7. libris de  
Prædestin.  
Sanct præ-  
fixa.

Anton.  
Possuin.  
in Hilario.

Epist. 35.  
& 31 apud  
Augustin.

Tom. 6.  
ann. 504.

Ruspensis, vt benè deducit Baronius: afferens, quotquot per ea tempora Episcopi vel sacerdotes creabantur, fuisse quasi omnes ex Augustinianâ Religione assumptos, quæ sola tum in Africâ vigeat, atque ex eo Religiosos, qui deinceps in orbis varias regiones ex Africâ deducebantur, fuisse Augustinianos, probat; quorum è numero, ait hunc D. Fulgentium, vnâ tunicâ cingulo coriaceo præcinctâ indutum ruri vitam egisse, iuxta Regulam sancti Augustini.

*D. Guilielmus Eremita Augustinianus*  
Hic. Sorbo in Compēdio priuil. fol. 10.  
Trull lib. 1. Canon.  
Ord. c. 13. & Guilh.  
Cual. c. 23  
Gelasin. in Martyrol.  
5. Idus Ian.  
Beda lib. 5. hist. cap. 1.  
Tabulę Ecclē. Neap.  
Paulus Regius in Actis.  
Baronius Martyrol. 28. Octob.

Hunc viuendi modum sunt amplexi plures alij, quos inter sub annū m. c. lx. D. Guilielmus Aquitanix Dux, qui fuit Philippi Regis Hispanix decimus septimus auus, secundū rationem, quam in it Caribaius in fine historia Regum Hispanix. Is Guilielmus, cum asperrimam vitam duceret, exemplo suo ductuque collapsum in Prouinciis trans Alpes hunc Ordinem restituit. Pertulit enim idem Ordo complures acerrimas vexationes à Donatistis, Arrianis, Circumcellionibus, Longobardis, Hunnis, Nortmannis, Vandalis, & alijs. Vnde non ita diu, captâ Hipponensî ciuitate, multi Religiosorum Neapolim profugere, monasteriumque Niridanum prope illam ædificarunt. Floruerunt hic inter ceteros Adrianus Afer, in Angliam postea missus ad conuersio-



uersionem eius gentis. Item D. Agnellus, & Gaudiosus, cum S. Quoduultdeo & ceteris Præsulibus, fugâ ex Africâ iuxta hanc ciuitatem delatis. Alij, teste D. Antonino, Part. 3. t. 24 deuenerunt in Thusciam: vbi D. Augustinus aliquot monasteria erexit eo tempore quo per ea loca in Africam rediit, atque inter cetera vnum Sanctissimæ Trinitati sacrum, ob apparitionem pueruli iuxta littus sibi factam. Huiusce monasterij (scribit Martinus V.) etiamnum visuntur quædam indicia. Inde plures colonix Religiosorum deductæ sunt, quædam in monasterium Ilicitanum sub annum Domini DC. vt Paulus Morigia testatur lib. De orig. Relig. cap. xxxv. In Senense monasterium anno M.L. vt Franciscus Thomæ Chronographicus Senensis; inde paulò post Venetias deuenisse, argumento sunt præter Leandrum Albertum in suâ Italiâ veteri, monumenta Veneta Auditionis Aulæ: in quâ feruntur in habitu Augustiniano exstare tres eximij Venetorum Patriarchæ, cum huiusmodi subscriptione, *An. DCCCC. XVII. Dominicus David Venetus Ordinis Eremitarum, Patriarcha Venetiarum num. XIII.* quem aliquo post interuallo sequuntur Bonifacius Valerius, Michael Carthego, & ipsi Patriarchæ. In Hispaniâ nostrum insti-

Hom. de  
translat.  
S. Monicæ.  
Quomodo  
Augusti-  
niani Ordini  
colonie  
in varias  
orbis partes  
deducta.

tutum propagatū est, primū à S. Paulino, dein à S. Donato, qui viuus mortuusq; claruit miraculis. Id accidisse Erâ DC. XIII. hoc est anno Dñi D. LXXV. expressè habet Aufonius ad Paulinum Epist. xxv. Maximus in Chronicis Gothicis Erâ DC. XIII. & S. Ildephonsus Archiepiscopus Toletanus de viris illustrib. cap. iv. ad quem etiam sub id ferè tempus literas dedit S. Arthuagus monachus Augustinianus, de quo Maximus suprâ: *An. D. LXXXIV. floret Arthuagus, cognomēto Gothus, ex Ordine S. Augustini, prior Abbas in monasterio Cislaensi S. Crucis prope Toletum.* Religiosi enim (vt hoc in transcurso explicemus) obediebant Præpositis siue Decanis, hi verò Patri seu Abbati monasterij: eratq; vnus Presbyter, qui vices Episcopi seu Prouincialis obeundo, cunctos per vniuersum huiusmodi tractum Eremitas regebat. Vnde in Regulâ scriptum est: *Præposito tamquam Patri obediatur, multò magis Presbytero, qui omnium vestrū curam gerit.* Exin Ordo in Lusitaniam est ductus per S. Nuntum monachum, posteaq; inuictum Martyrem: inde in Armeniam se extendit, perq; Insulas maris Oceani, ad vsque montes Malabaricos. Quibus iterū in partibus, Clemente VIII. Pontifice Romano, Reuerendissimus noster

D. Ildephonsus & Arthuagus Eremita Augustinianus cœtanei. Vide Tabulas Eccl. Toletanæ apud Iul.

Paul. Diac. in histor. Eremit. in Nunto.

ster Alexius Menezius, nuper Indiarum, nunc verò Lusitaniæ Prorex, vnà cum collegis, fidei Catholicæ strenuam operam nauarunt, & magnâ ex parte restaurarunt, baptizatis ibi Principibus viris aliquot, tribus nimirum nepotibus magni illius Mogor, ac præterea Regibus Pambe, Pate, & Badaron, nec non Regis Ormutij vnico filio: qui spreto regio diademate, D. Augustini habitum summis precibus efflagitauit, ac tametsi renitentibus Patribus Augustinianis (quòd eum dicerent vtiliorem fore Christianæ reipub. in regno, quàm in Religione) ad extremum Ordini nostro humiliter est initiatus. In vtraque Indiâ, Peruanâ in primis regione, in Insulis Philippinis, Moluccis, & alijs plurimis, primi, vel ex primis Christianæ fidei satoribus fuere Augustiniani. Quibus Rex Catholicus plerisque in locis suis sumptibus, ac præsertim in Mexicanâ ciuitate bis centum aureorum millibus eleganti structurâ domum ædificauit. Etiâ in Æthiopiam supra Ægyptum, tempore Concilij Chalcedonensis circa annum Domini cccc. li. Eremitæ nostri penetrarunt. Nam vt fidem faciunt archiua seu tabularia Ecclesiæ sancti Stephani Romæ, quam Indi & Æthiopes Christiani habitant: *Apparuerunt primùm ex Africâ venien-*

*uenien-*

venientes nouem fratres, seu monachi, induiti habitu nigro, cum manicis largis & corrigiâ, quorum nomina hæc sunt, Ioannes qui senex erat & aliorum veluti Prior, Licanos, Pantaleon, Garime, Saama, Affe, On, Gubla, Lamapta. Et isti sunt qui in Aethiopiâ instituerunt monasteria, atque eorum corpora tamquam sancta venerantur.

## CAPVT XIX.

*S. Augustinus exornat Ecclesiam Monachis, Clericis, & Martyribus.*

**H**i omnes alijque innumeri longâ serie temporum secuti sunt primum S. Augustini institutum. Quod autem ipsemet primus in Africam hunc viuendi modum induxisset, eoque vteretur, inde nimirum Donatistæ pestiferum genus hominum non dubitauerunt tam salutare inuentum Augustino velut illius primario auctori obijcere, quemadmodum ipse refert; cum tamen ex Ægypto, Italiâ & aliunde tale vitæ genus primum acceperit. Inaudierat enim iam pridem D. Ioannis Baptistæ austeram in eremo viuendi rationem; acceperat aliorum sermone, D. Paulum Archieremitam victu habituque duro vsum esse; iam famâ didicerat totius Ægypti sanctissimum Archimandritam Antonium, sed & plurimorum

rum monachorum facilè poterat esse conscius qui in Thebaidis ciuitate Oxyrincho commorantes, adeò se quaquà versus diffuderant, vt multò plura monasteria quàm domus eadem in vrbe censerentur: viginti enim millia virginum, & decem millia virorum vrbs ea ambitu suo cõplectebatur. Viderat & in Italiã non pauca egregiè instructa monasteria, quæ beatorum ciuium choris non dubitabat cõparare. Quem Angelicum in terris viuendi modum ipse sectatus, & admirabili cõnexione Monachismum Clericatu iungens, è suis delectos aliquot, eosque pietate & doctrinã præcellentes, dein sacris Ordinibus initiari curauit. Qui eius statuto, præter communia tria votorum exercitia, cœperunt vnà recitare Preces horarias, Sacrum celebrare, concionari, excipere confessiones, aliaque id genus, instar Apostolorum, Ecclesiastica obire munia. Adeò vt rectè iuxta Possidium dicatur Augustinus Presbyter factus cœpisse viuere cum Clericis secundùm regulam sub sanctis Apostolis constitutam: eò quòd tum primùm S. Pater sit exorsus vitam Apostolicam modo perfectiori, maioriq̃ue amplitudine. A quo modo sic viuendi vt non esset resiliendi facultas, illi astringebant se *felici necessitate, quæ in meliora compellit.*

Hac

Euagrius  
in Vitã  
SS. Patrum  
cap. 5.

Lib. 1. de  
moribus  
Eccl. c. 33.  
Possid. c. 18  
Viræ.  
Innoc. 1. ep.  
ad Vitri-  
cium.  
Augustinus  
epist. 76. ad  
Aurelium.

Augustinus  
epist. 77.  
Hier. epist.  
ad Nepo-  
tianum.

Epist. 45.

Hac tam egregiâ tum Monachorum, tum Clericorum vnione, velut lucidissimis astris Ecclesiam Catholicam exornauit in pacis serenitate, vt Martyrum genus in persecutionis turbine; quamquam nec hi quidē ex Augustiniano cœtu postea defuere. Et quidem sub eadem ferè tempora seuiente tyrannorum rabie, tradunt 2500. ex Augustinianâ Religione fratres effuso sanguine testimonium illustre Christo reddidisse. Qui tamen in Martyrologio Romano peculiari celebritate minùs culti fuere, quòd eorum nomina deprehendi non potuerint. Eorum tamen generatim fit mentio, & centenario vel millenario numero comprehensū recitantur. Ex omnibus autem septem omnino, xvi. Kalend. Septemb. distinctis nominibus, Liberatus, Rogatus, Septimus, Bonifacius, Seruius, Rusticus & Maximus referuntur, qui remorum fragmentis crudelem in modum trucidati fuere. Neque verò quispiam ab eius ætatis monachis hæc nomina scripto exigenda prudens existimabit, qui, vt ait B. Iordanus, *plus rebus piè gerendis, quàm scribendis vacabant.* Idem quieti penitus intenti omnem vel speciem ostentationis, omnem strepitum rerum sæcularium, omneque cum hominibus commercium vitabât, nisi forsân Christiana

*Innumeri  
Martyres  
Ordinis  
D. Augustini.*

stiana caritas aliter quid fieri postulasset.

Faciebant id exemplo sui Patris, qui solitudinis erat amantissimus: quam cum amici causâ, cuius salutem quærebat, ac etiam propter monasterij constructionem paulum reliquisset; tum primùm in Presbyterij, ac deinde grauem Episcopatus velut pedicam incidit. Atqui fuerit gratius, hæc omnia ex ipso Augustino ad populum pro concione deplorante semetipsum, intelligere: *Quærebam, ait, ubi constituerem monasterium, spem quippe omnem seculi reliqueram, & quod potui esse nolui, nec tamen esse quæsivi quod sum. Elegi in domo Dei mei abiectus esse. Ab ijs qui diligunt seculum, segregavi me, per religiosum mundi contemptum, nec præfectis populi me æquavi, sed à Prælaturæ officio tantopere abhorruï, ut quoniam cæperat esse alicuius momenti inter Dei seruos fama mea; in quo loco sciebam non esse Episcopum, ne illò accederem, cauebam. Et hoc agebam quantum poteram, ut in loco humili saluarer, ne in alto periclitarer. Veni ad istam ciuitatem propter videndum amicum, quem putabam me lucrari posse Deo, ut nobiscum esset in monasterio. Quasi securus perueni, quia locus habebat Episcopum. Non attuli aliquid, nec veni ad hanc Ecclesiam, nisi cum ijs indumentis (pullo scilicet habitu, zonâ*

Ser. 49. De diuersis.

Augustinus hic manifestè monachus ostenditur.

zonâ pelliceâ cincto, & cucullo, quæ nec  
 Episcopus ( vt volunt ) deseruit ) quibus illo  
 tempore vestiebar. Et quia ( ægrius ferens  
 suorum Eremitarum absentiam ) dispone-  
 bam esse in monasterio, cognito voluntatis  
 meæ proposito, B. M. senex Valerius dedit mi-  
 hi hortam illum, in quo nunc est monasterium.  
 Cæpi boni propositi colligere fratres, nihil ha-  
 bentes, sicut nihil habebam, & sua mecum  
 pauperibus erogantes, vt de communi vive-  
 remus: commune autem nobis esset, magnum  
 & vberimum pradium ipse Christus. Sub-  
 dit: Perueni ad Episcopatum, vidi necesse ha-  
 bere Episcopum exhibere humanitatem assi-  
 duam quibuscumq; venientibus siue trans-  
 euntibus. Si autem consuetudo ista in mona-  
 sterio permessa, indecens esset. Et ideo volui  
 habere in istâ domo Episcopi mecum monaste-  
 rium Clericorum.

## CAPVT XX.

S. Augustinus duas familias Religiosorum in-  
 stituit, Eremitarum & Canonicorum Re-  
 gularium.

QVIBVS verbis liquidò monstratur,  
 S. Augustinum Hippone duo constru-  
 xisse monasteria: vnum quidem Eremitis  
 Religionis suæ sodalibus, cum Presbyter  
 tantum esset; illudque secus flumen in po-  
 mœrio,



incertio, quod adire piè contemplandi gratiâ fuit solitus; cuius monasterij etiamnum perhibent quædam spectari rudera. Alterum verò conditum ab eo cum Episcopus esset, quod Clericis Regularibus initium dedit in Episcopali eius domo, quæ proximè fuit ecclesiæ coniuncta. Consequitur etiam, Baronio teste, duas Ordinis diuersi familias à S. Augustino fuisse institutas, seu potius reformatas; eorum nempe, qui in Episcopali domo Clericalem vitam agètes, iam Episcopo conuiuebant; & eorum qui nigrâ veste cinctuque pelliceo vtentes, extra omnem sæculi tumultum, domicilium sibi elegère, Parentem suum habitu & moribus æmulantes: quales è multis fuisse accepimus D. Euodium, Fulgentium, reliquosque supra recitatos, homines cum pietate, tum doctrinâ conspicuos, eosdemque Dei & Angelorum sæpe in terris colloquio fruentes. Quin etiam, vt auctor est Baronius tom. v. an. CCC. XCV. CCC. XCVIII. & alibi, huiusmodi fuère quotquot ibidem per ea tempora Presbyteri consecrabantur. Ac non ita multo pòit, decem Episcopos doctissimos, vt testis est Possidius, è cœnobio in varias velut colonias deduci permisit S. Augustinus: qui omnes diuersis Ecclesijs præfecti, atque eiusdem Religiosæ vitæ pro-

Henricus  
ab Alema-  
niâ.  
Nicolaus  
ab Alexan-  
driâ.

Baron. t. 6.  
ann. 504.

Ferdin. ab  
Hispaniâ  
Episcopus  
Auiionē-  
sis.  
Serm. 150.  
apud B. Ior-  
danum de  
Sanctis.

Cap. II. Vi-  
ta S. Augu-  
stini.

M pagi-

paginem explicantes quaquaversus & ipsi in suis dioccesibus monasteria exstrui curaverunt. Ne quis autem magnopere de primogeniturâ digladietur vel etiam vanè gloriatur (id enim non optimo exemplo quidam fecêre) subijcere hîc volui, quæ de hac re sapienter ac verè legi in hæc ferè verba

Lib. 2. V.  
tasfr. c. 12.

apud nostrum B. Iordanum è Saxoniâ: *Ego omni scrupulo semoto, æstimo quòd illi de ipsius Regula primatu digniùs gloriantur, qui contenta in Regulâ deuotiùs & feruentiùs exequuntur: & si optare possem, hoc mallem in hoc S. Ordine potius inueniri, quàm quòd ipse S. P. Augustinus Regulam ipsam Patribus nostris primò dedit. Non enim de primitate collationis, sed de præcipuitate observationis est curandum. Sed timendum ne plerisq; de principalitate Regulae litigantibus accidat, sicut Iudeis qui gloriantur se primos & præcipuos esse in collatione legis, eò quòd lex à Deo per Moysen eis immediatè fuit data, verùm illi de ipsius legis obseruantia minimè curant, immò ab eadem deficiunt. Vnde verissimè in illos hoc dici posse subnectit, quod in Vitis-patrum senior quidam simili vanitate monachis in hanc sententiam*

Part. 2. lib.  
De discre-  
tione.

*obiicit: Prophetæ conscripsêre libros; Patres autem nostri venerunt post eos & operati sunt eos: & iterùm successores eorum com-*  
*men-*

*mendauerunt illos memoria. Venit autem generatio quæ nunc est, & scripsit eos in chartis & membranis, &c. & posuit eos in fenestris vel cistis otiosos.*

## CAPVT XXI.

*Complures Episcopi monasteria Augustiniana Religioni construunt, quæ etiamnum hodie tot afflicta persecutionibus constat.*

**D**IVERSARVM nationum Episcopi, cum ad Prouincialia Comitata in Africam sæpius conuenirent, videntes hoc Augustini institutum ita propagatum, & tot è discipulis eius creatos Episcopos, quodque in Conciliis inuenirentur literati non pauci de monasteriis prodeuntes; ad sua reuersi, magnopere laudabant hæc incrementa Ecclesiæ Africanæ: quod eadem quæ vix antè poterat Episcopos obtinere Catholicos, iam abundaret Monachis & Clericis, per quos hæresis extirparetur, & pietas omni modo promoueretur. Quamobrem Innocentius I. hoc institutū magnopere probauit, & Eremitas quàm plurimos sub hac à se cõfirmatâ Regulâ coadunauit. Zozimus autem iuxta Ilescam, iisdem viris religiosi facultatem dedit Euangelium vbiuis prædicandi, idque ratione multiugæ eruditionis, atque eximie sanctitatis, quibus

Platina in  
Inoc. I.  
Henricus  
ab Vrma-  
riâ.  
B. Iordanus  
lib. I. Vitas-  
fr. cap. 19.  
Lib. 2. c. 9.  
& 10.

Possid. c. 5.  
Vita.

tunc mirabiliter efflorescebant, utpote ipsimet Augustino, copioso fonti sapientiae plurimum vicini. Vnde volunt holce Eremicolas ex primis vel etiam primos Religiosos ab Apostolis fuisse, qui palam Evangelium ubique gentium predicarunt. Haud igitur mirum, si diuersis priuilegiis vite salute vocis & fauoribus iam olim eos persecuti fuere Pontifices Romani, utpote Sixtus III. Leo I. Gelasius I. (quem in monasterio conuixisse volunt S. Augustino, monachumque fuisse) Symmachus Sardiensis, & alij deinde plures. Quam re factum est, ut per omnem Africam (quod antea diximus) transmarina loca, vastissimaque Aegyptiacae Aethiopiae regiones, quas idem vir sanctus amore martyrii salutisque proximorum lustrasse predicando dicitur, Augustiniana familia tantum incrementi acceperit, ut monasteriorum iniri numerus haud possit, nedum eorum census institui, qui sanctitate ac eruditione in iisdem praestitere. Hac eadem Augustiniana Religio singulari Dei beneficio refert acceptum, quod inter saeuissimas bellorum tempestates, quas omnis generis barbarae nationes in diruendis eiusdem domibus excitauerunt, non tantum non defecerit, ut etiamnum post tot saecula vigeat atque reflorescat. Refert hoc ipsum  
pracla-

Boët. Sa-  
bell. & Me-  
din. de Cō-  
tinentiâ  
lib. 7. c. 53.

præclaris etiam parentis sui meritis acceptum. Nam, ut ait Spiritus sanctus, *Benedictio patris firmat domos filiorum*; quod etiam hac tempestate persistet, intercessionibus eius apud Deum se debere fatetur. Et si enim in Beatorum sedes ab illâ sit translatus, eius nihilominus fauorem experitur; & quem in terris meruit habere Patrem, eundem sentit in cælis patronum.

## CAPVT XXII.

*Augustiniani bono publico in ciuitates aduocantur.*

**R**ETINET autem hæc sacra Religio Cur Augustiniani vocentur Eremitæ. vetus Eremitarum nomen, tamen nunc in urbibus habitat; à primâ suâ per Augustinum in Eremo circa annû Domini CCC. LXXXIX. institutione, & priscâ deinde solitudines incolendi consuetudine: quæ eousque perseuerauit, donec ab Innocentio & Alexandro IV. Pontificibus Romanis, ijdem Eremitæ per cælestem visionem, loco, habitu & regulâ, cum pluribus aliis variè sparsis, sub vno capite ac Generali Patre adunati in vtilitatem Catholicæ plebis, ad ciuitates sunt inuitati; facultate datâ iis qui in Eremo persistere vellent: plurimumque adacti fuere, ceu stellæ cæli, quarum ob multitudinem iniri numerus non potest.

M 3

Quæ

Quæ profectò stellæ, tum sanctitatis tum doctrinæ splendorem ( post Deum Opt. Max. ab Augustino mutuantes, vniuersam Ecclesiam Catholicam illuminarunt. Atque etiam hoc rerum turbine, velut quidam planetæ feliciter errantes, Orientis atque Occidentis Indias; ad hæc Armeniæ, Brasiliæ, Persidis, Bambarecæ & vicina regna, Catholicæ Religionis postliminiò restituendæ gratiâ peruagantur. Inter quos è primis fuit insigni zelo fidei succensus prædictus Illustrissimus Alexius Menezius pronuper Archiepiscopus Goanus ac Primas Orientis, nunc Lusitaniæ Prærex. Quòd verò futuris deinceps temporibus eadem Religio sese extollet altius, rei que Christianæ fiet adiumento, sagaciores dispiciunt satis, & dilucidius confirmat D. Antoninus vaticinio Ioachimi Abbatis prophetiæ spiritu clari, quod in hanc sententiam ex illius explanatione in Apocalypsim affert; *Surget, inquit, Ordo qui videtur nouus & non est, induti nigris vestibus & desuper accincti zonâ pelliceâ: hi crescent, & fama eorum diuulgabitur: & prædicabunt fidem, quam & defendent vsque ad consummationem, in spiritu & virtute Elia. Qui erit Ordo Eremitarum emulantium vitam Angelorum. Quorum vita erit quasi ignis ardens in amore*

3 part. hi-  
stor. t. vl-  
timo.  
Antonius  
Posseuin.  
Appar. sa-  
cro v. Ioa-  
chimus.

amore & zelo Dei, ad comburendum spinas  
& tribulos, hoc est ad consumendum & extin-  
guendum perniciosam vitam prauorum.

## CAPVT XXIII.

Ordo S. Augustini complectitur quoque  
virgines Deo sacras.

COMPLECTITVR etiam hæc Reli-  
gio virgines Deo sacras: nec enim satis  
visum est S. Augustino, hanc viuendi me-  
thodum viris præscripsisse, sed imbecilliori  
quoque sexui consulere volens, eandem  
paulò post viuendi Regulam simul & femi-  
nis tradidit, pauca tantummodo verba im-  
mutans; vt patet Epistolâ 109. in quâ scribit  
se hunc hortum Dominicum plantasse &  
rigasse, non vt spinas, sed vt fructus mete-  
ret bonorum operum. Præfecit primò Ta-  
gastæ Virginum Conuentui sororem suam  
Perpetuam, de quâ Possidius: *Germana so-* Cap. 26.  
Vitæ.  
*ror eius vidua Deo seruiens multo tempore,  
vsque in diem obitus sui, Præposita ancilla-  
rum Dei vixit, miraculis clara. Putantur &* Cardinal.  
Seripandus  
in Chron.  
Ordin.  
Sabell. Ac-  
nead. 7.  
lib. 9. par. 23.  
*in eodem monasterio Religionem professe*  
*Basilica & Felicitas, sorores Augustini ex*  
*altero tantum parente, atque etiam ipsius*  
*consobrinæ, de quibus idem Possidius scri-*  
*bit: Patruï sui filiæ, & fratris sui filiæ pari-*  
*ter Deo seruebant.*

Erat Augustino summæ voluptati harum

M 4 mulie-

Epist. 109.

mulierum frequentia, piè viuendi ratio, ac in sanctitate progressus, vt declarat epistolâ suprâ citatâ: *Soleo, scribit, gaudere de vobis, inter tanta scandala quibus abundat vbiq; hic mundus, aliquando consolari, cogitans copiosam congregationem, & castam dilectionem, & sanctam conuersationem vestram; & largiorem gratiam Dei, quæ data est vobis, vt non solum carnales nuptias contemnere, verum etiam eligeretis in domo societatem vnanimis habitandi, vt sit vobis anima vna, & cor vnum in Deo.*

Li. De Cor-  
rept. & grat.

Monet easdem vt constant in bono proposito, affirmans *neminem in æternam vitam posse ordinari sine perseverantiâ, quandoquidem qui perseverauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Obedientiam maxime rogat vt seruent, quod mater quodammodo sit omnium custosq; virtutum. Obedientem mulierem inobedienti virgini præponendâ. Ac obedientie quidæ excellentiam Christum demonstrasse, quippe qui non venit facere voluntatem suam, sed eius à quo fuit missus. Ad hæc vt normam monasticam, siue Regulas Ordinis exactè sequantur, eum enim, inquit, si

Lib. 14. De  
ciuit. c. 21.Li. De opere  
Monach.Lib. 8. super  
Genes.Lib. 1. De  
Ordine  
cap. 9.

*tenuerimus in vitâ, nos perducturû ad Deum: & si non tenuerimus in vitâ, nûquam peruenturos ad Deum.* Habitus earum erat, vt viro- rum, niger, cinctus, zonâ pelliceâ, cum velo instar



instar mitellæ caput operiēte. Docet id c. II.  
 Cōcilij IV. Carthag. Optatus Mileuit. & alij.  
 In iis B. Rita de Cassiā, B. Christina, B. Ma-  
 xima, atque vna multarum instar B. Clara,  
 quam vocant de Monte-falco, assiduis so-  
 lita lacrymis recolere animo mysteria Do-  
 minicæ Passionis. Eamdem iam morti vici-  
 nam fama erat in corde sculptam gerere  
 Christi Passionem. Itaque cum sanctis-  
 sime decessisset, aperto corde, in eoque  
 cruce, coronâ spineâ, flagello ceterisque  
 mortis Domini insignibus inuētis, liquebat  
 vera fuisse, quæ de eâ ferebantur. Ad hæc  
 in felle tres lapilli rotundi sunt inuenti,  
 ponderis æqualis, qui nullâ vi frangi  
 queunt, coloris incogniti: & quod est sum-  
 mâ dignum admiratione, tantum pendit  
 vna pilula, quantum duæ vel etiam tres si-  
 mul. Quâ re significatur profundissimum  
 mysterium S. Trinitatis, cuius ipsa B. Clara  
 quoad vixit, studiosissima fuit. Corpus Vir-  
 ginis etiamnum post annos plusquam CCC.  
 intactum & integrum, cum pilulis, in exiguo  
 Italiæ opido Monte-falco nomine, vidi-  
 mus. Spectant ad eamdem versus sequētes:

*Par tribus est pōdus, par vni, parq; duabus,*

*Vna tribus par est, æquat & vna duas.*

*Illesi superant defunctæ virginis artus,*

*Extat & in summâ nare vigetq; cruor.*

M 5

CA-

Lib. 6 cōt.  
 Donatist.

D. Augustini sincera Deo placendi intentio, studiumq; promovendi eius honorem, & proximorum salutem, præsertim concionando; quâ in re præcellens, multis saluti fuit.

**I**GITUR monasticæ vitæ genere probè instituto, deinceps sacerdotium omni pietate exornandum putavit, in eumque finem, tamquam itineris ducem sibi delegit sinceram in omnibus soli Deo complacendi intentionem, quam Dominus oculum appellat: *Hunc oculum, inquit, habet ille qui finem bonorum operum, ut verè bona opera sint, non in eo constituit ut hominibus placeat, sed etiam si pervenerit, ut eis placeat, ad eorum potius salutem refert, & ad gloriam Dei, non ad inanem iactantiam suam.* Id ipse egregiè præstitit, qui singula opera sua in unius Dei honorem retulit: *Dulcescas (Deo loquitur) mihi super omnes seductiones quas sequebar, & amem te validissimè. Tibi seruiat quidquid utile puer didici, tibi seruiat quod loquor, & scribo, & lego, & numero.* *Misericordia tua exaudiat desiderium meum, quoniam non mihi soli estuat, sed vsui vult esse fraternæ caritati. Et vides in corde meo, quia sic est; ut sacrificem tibi famulatum cogitationis & linguæ meæ.* Et alibi: *Tu solus*  
*facie*

Lib. 2. de  
Serm. Do-  
mini in  
monte.

Lib. 1. Cō-  
fess. c. 15.

Li. II. Cō-  
fess. c. 2.

Medit. c. 41

*finis intentionis meae.* Hac mente, quæ sibi ex officio incumbabant res omnes aggressus, occasionem nullam prætermisit, quæ possent honor Dei, vel cuiuspiam hominis falus promoueri. Vnde Possidius: *Zelo Dei succensus, Dominicis semper damnis mærebat, & lucris gaudebat.* Quos cælestes quæstus vt ampliter vndequaue coaceruaret, simulac facultatem concionandi est adeptus, Euangelicam pecuniam dedit ad vsuram, sacrum Dei verbum magno cum populi applausu & fructu pro concione prædicans, eò quòd singulariter hac in re excelleret. Quamobrem in solemnitate eius annuâ canitur: *Latatur cum Apostolis, quorum plenus spiritu, quæ prædixerunt mystica, fecit nobis peruia: post quos fecunda dispensandi verbi Dei primus refulsit gratiâ.* Cùm enim res duæ maxime Ecclesiasten perficiant, doctrina & elocutio, vtraque in eo summa fuit. Et quidem quod spectat artes liberales, tam apprimè eas intellexit, vt de iis singulos libros conscripserit: ad eò vt si in obliuionem issent, ab eo restitui faciliter eadem potuerint. Etiam in historiâ, quæ prudentiæ mater est, & nos plurimum ad intelligendos sacros libros iuuat, præcipuè fuit verlatus, vt omittam rerum diuinarum & humanarum scientiam, quæ in sibris eius

*Omniem occasionem captat honorem Dei, & salutem hominum promouendi.*  
Cap. 18.

*S. Augustinus eximius ecclesiastes.*

*Lib. 2. De doct. Chr. cap. 28.*

De

De Ciuitate Dei vel maximè relucet. Adeò  
verò eloquentiâ præstitit, vt etiam inimi-  
cissimus eius Secundinus Manichæus ad

T. 6. Epist.  
ad Augu-  
stinum.  
Lib. I. con-  
tra Cresc.  
cap. 2.

eum scribat: *Summum te vbique inueni Ora-  
torem, & deum panè totius eloquentiæ. Ego  
namque fateor, non tali diligentia, nec tanta  
industriâ Anicianæ domus micare marmora,  
quantâ tua scripta perlucet eloquentiâ.*

Hieronymus epistolâ 30. ad Augustinum:  
*Certè quidquid dici potuit, & sublimi inge-  
nio de Scripturarum S. S. hauriri fontibus, à  
te dissertum est.* Ac pictorum nemo, existi-  
mem, tam euidenter corpora quiuerit pe-  
nicillo exprimere, quàm ille mirificè ac in-  
imitabili eloquio quasi spectandam nobis  
futuræ vitæ gloriam proposuit, quam ta-  
men umbraticè solùm, & per rerum simi-  
litudines apprehendimus. Sanè ardentissi-  
mum eius amorem, quo in Deum & in  
omne genus hominum exarsit, quemque  
modis omnibus persuadere hominibus stu-  
duit, eiusce tum scripta tum dicta passim  
spirant. Quamobrem Comes Darius sum-  
mè desiderabat eum concionantem audi-

Epist. 263.  
apud Au-  
gustin. to. 2

re. *Dixisse hunc ferunt: O me non modò ter-  
aut quater, sed millies & omni numero plus  
beatum, si mihi datum esset præsentì intueri  
tuos verè sidereos vultus, vocemq; diuinam,  
& diuina canentem, & non solùm mentis fru-  
ctus,*

*Etus, sed etiam cum aurium suauitate sumere  
& audire licuisset. Putarem profecto me quas-  
dam immortales leges non modò de celo, sed  
in ipso constitutum celo suscipere, & quas-  
dam Dei voces, non longè de templo, sed pro-  
pe ipsum Dei astantem tribunal audire.*

Mirabiles autem fuere prædicationis eius <sup>Mirabiles prædicationis S. Augustini effectus.</sup> effectus: nõ enim ad meliorem frugẽ dumtaxat malè viuentes Catholicos reduxit: verumetiam ab heresi multos ad saniorẽ fidem traduxit. Meminit Possidius inter ceteros Firmi cuiusdã, quem hereticum D. Augustinus præter mentem à proposito (Deo sic <sup>Cap. 15. Vitæ.</sup> ordinante) digrediens, ita conuertit, vt eum non tantum religiosis cõtibus aggregarit, <sup>Possid. c. 9. Vitæ.</sup> verum etiam Presbyterum effecit. Quare tanto eius concionandi studio Africana Ecclesia, quæ multo tempore hæreticis inualescentibus iacebat oppressa, leuare caput demum est exorsa: & fidem Catholicam quam ex eius ore suscepit, longissime deinceps retinuit. Nam tametsi vicinæ regiones iam diu Orthodoxum credendi modum reliquissent; nihilominus anno Christi M. LXXXV. Gregorio VII. Pontifice, Hippone (nunc Bona dicitur, abiectione primæ syllabæ, & p literã mutatã in b, quod est dictu mollius) auita illa fides etiamnum florebat, vt liquet ex eiusdem Pontificis Epi-

Epi-

Tom. 3.  
epist. 20.

Epistolâ, quam dedit ad ciues Hipponenses, commendans eis Archiepiscopum Seruandum. Quàm autem hominû omnium inuigilauerit salutî, paucis & apertis verbis docet Præfatio, quæ solemni eius die canitur in templo: *Clericos docuit, laicos monuit, deuos in viam veritatis reduxit: ceterorumq; conditionibus salubriter providendo, Dei in hoc mari nauiculam provide gubernauit.* Enimuerò boni gubernatoris est, non tantùm in stellam polarem oculos intendere, sed & clauo manum admouere, si portum desideratum tenere velit. Sic nimirû ipse non tantùm intellexit, aliosq; intelligere docuit, quibus modis ad æternæ felicitatis stationem pertingeret: sed ad hæc operi manum prior admouit, ceterosq; homines non tam verbis quàm exemplis est adhortatus.

## CAPVT XXV.

*Ingens mortificationis eius studium.*

Lib. 1. Cō-  
fess. cap. 5.  
Sem. 13. de  
ver. Apost.

QUANTVM autem mortificationis studio deditus fuerit, atque à rebus omnibus, non tantùm vitiosis, verùm etiam licitis abstinuerit, satis hoc eius aureum dictum declarat: *Moriar, ne moriar.* Itemque: *Hoc opus nostrum, actiones carnis spiritu mortificare quotidie, affligere, minuere, frenare, interimere. Calca, prosequitur, mortuum,*

num, transi ad viuum, à mortificato nempe vitio vno ad mortificandum alterum. Calca iacentem, conflagra cam resistente, mortua est vna delectatio, sed viuit altera. Et alibi: Ego persequar affectus carnales meos, ne ab eis comprehendar, sed comprehendam illos; vt absumentur, & non conuertar donec deficiant. Et rursus: De agenda istâ vitâ temporali eo modo per quem veniendum est ad aeternam, noui concupiscentias carnales esse frenandas, tantumq; remittendum in delectationes sensuum corporalium, quantum sustentandâ huiusmodi agenda vitæ satis est, omnesque molestias corporales pro veritate Dei, & salute eternâ nostrâ & proximi patienter forçitèrque tolerandas.

Enarrat.  
in Psal. 17.

Epist. 250.  
ad Paulinũ.

Bellum igitur intestinum (sic vocat) singulis indixit sensibus. Et ad oculos quidem quod attinet: Resisto, inquit, seductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei quibus ingrediar viam tuam Domine, & erigo ad te inuisibiles oculos, vt tu euellas de laqueo pedes meos. Pulcras formas, nitidos & amænos colores amant oculi. Non teneant hæc animam meam, teneat eam Deus, qui hæc fecit: bona quidem valde, sed ipse est bonum meum, non hæc. Quantum verò ad auditum: Cùm, inquit, accidit vt me amplius cantus, quàm res quæ canitur moueat, pœnaliter me peccare confi-

Li. 10. C. 6.  
fess. c. 34.

Lib. 10.  
cap. 33.

Lib. 10.  
c. 32.

confiteor, & tunc mallet non audire cantantem. Quantum ad olfactum: De illecebrâ odorum non satago nimis: cum absunt, non requiro; cum adsunt, nō respuo; paratus etiam iis semper carere. Quantum ad linguam:

c. 37. Quotidiana fornax est humana lingua. Imperas, Domine, nobis & in hoc genere continentiam: da quod iubes, & iube quod vis. Tu nosti de hac re ad te gemitum cordis mei, &

c. 31. flumina oculorum meorum. Aduersus autem suauitatem ciborum pugno ne capiar, & quotidianum bellum gero in ieiuniis, sæpius in seruitutem redigens corpus meum. Hoc tu me

NOTA.

docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed cum salus sit causa edendi & bibendi, adiungit se tamquam pedissequa periculosa incunditas, & plerumque præire conatur, ut eius causa fiat quod salutis causâ me facere vel dico, vel volo. His tentationibus quotidie conor resistere, & inuoco dextram tuam ad salutem meam. Tentationi namq; non aliud æquè præstò remedium est quàm oratio, quæ thesauros diuinos nobis aperit, quæ cæli scala est, quæ sacræ benedictionis aditus est, quâ vnâ cæleste nobis lumen & diuina solatia inferuntur: quâ denique Augustinus in virum tantum talemque, & omni affectu inordinato liberum euasit.

CA.



## CAPVT XXVI.

*Summa eius humilitas, & conscientia tenerritudo, quam etiam vel à specie mali seruare studuit.*

QVAMVIS autem eis omnibus virtutibus, quæ viro sancto dignæ sunt, ornatissimus fuit, tamen singularis eius animi demissio præ ceteris primas ferre videtur. Patuit hæc præsertim ex liberâ peccatorum confessione: nam cum hominibus naturâ comparatum sit (quod est Iobi 31.) malefacta propria tegere silentio; ille toti posteritati, velut in theatro patenti, conscientia propriæ simulacrum expressum in libris Confessionum inaudito reliquit exemplo: & quæ coram vno mortali secretò referte peccata nos formidamus, ille mortalibus omnibus palàm facere non erubuit. Adhæc, si quando minimos etiam næuos contraxisset, apud Sacerdotem eorundem confessionem instituit, alios vt se imitarentur exemplo suo prouocans. *Quoniam enim insudat aqua per angustas rimulas nauiculae nostræ, ne impleatur sentina, & cymba mergatur, non cessetur à nautis, abluant manus, & quotidie quod nauta faciunt, exhauriantur sentinae. & infra, facilem spondens delictorum veniam, Fac, ait, incertum esse, vtrum*

Hom 42.  
lib. 50.  
homil.

N igno-

ignoscat Deus; quid perdit cū supplicat Deo, qui salutem perdere non dubitavit, cū offenderet Deum? Quis enim certus est, quod & Imperator ignoscat? & tamen pecunia funditur, maria transmeantur, procellarum incerta subeuntur, & panē ut mors evitetur, mors ipsa suscipitur: supplicatur deinde per homines homini: sine dubitatione sunt ista, cū sit dubium quo sine proueniant. Et tamen certiores sunt clauēs Ecclesiæ, quàm corda Regum; quibus clauibus quodcumque in terrā soluitur, etiam in celo solutum promittitur: & multo est honestior humilitas, quā se quis humiliat Ecclesiæ Dei, & labor minor imponitur, & nullo temporalis mortis periculo mors eterna vitatur. Quo consilio, ut illa quæ conuersionem antecesserunt graua referre non dubitavit, sic etiam post acceptum Baptismum, leuissima quæque errata, quæ plerisque mortalibus vix peccata videri possint, in se reprehendens, clauibus, ut iam dictum est, Ecclesiæ subiecit. Credo equidem per rimam in sole volitantis puluisculos obseruantibus simile viro sancto contigisse, dum à conscientia tam purâ tamque limpidâ rationem rerum minutissimarum exsolceret. Inde sui ipsius accusatio, quod inter vescendum forte bolum aliquem dederit voluptati: inde quod aliquan-

Leuissima  
D. Augu-  
stini errata

quando in Ecclesiâ concentu vocum magis, quàm sensu fuerit oblectatus: quòd *casu leporem plagis implicatum, & muscam aranea telis inhaerentem curiosius contemplatus fuerit: quòd item sole ad meridiem clarissimè resplendente, delectationi qua ex intuitu lucis est, plus indulserit.* Huiusmodi næuos minutissimos obseruare solito, quanta putamus religio fuisset, dies vel septimanas inani corporis oblectationi tribuere, in multam lucem stertere, risus aut cachinnos immodicos (quæ res animi tenorem vel maximè dissoluit) edere? *Quæ peccata illi non putant, qui non habet olfactum anime sanum,* Augustino verò plurimùm erant horrore, tum propter ingenitam foeditatem, tum propter diuinæ consolationis, quod adferunt, detrimentum. Vt enim minimæ sordes oculum lædunt, ita conscientia mentisq̃ue illam suauitatem leuis culpa tollit: eademq̃ue nostrum decus ita exterminat, vt ab illius sponsi speciosi præ filiis hominũ castissimis amplexibus separet. Quamuis enim, vt ibi profequitur, animam letifero vulnere delicta venialia non afficiant, reddunt tamen eam maculosam, ac velut scabie infectam. *Quare nec inulta remanebunt peccata sine parua, siue magna; quia aut homine pœnitente, aut Deo iudicante plectuntur.*

Lib. 10.  
Confess.  
c. 35. & ali-  
bi.

S. Basilius  
epist. ad  
S. Gregor.

Enarrat. in  
Psal. 37.

Lib. 50. ho-  
mil. c. 3.  
hom. 50.

Venialis  
peccati  
dispendio.

Ih Senten.  
cap. 210.

Lib. 50.  
hom. c. 4.  
hom. 50.

Quotidia-  
num con-  
scientia  
examen in-  
stinendū.

Lib. 50.  
hom. 16.

Primis pec-  
cati tenta-  
tionibus re-  
sistendum.

Euarrat.  
in Psal. 36

*tur. Atque ideo per quotidianum examen conscientia ascendat homo aduersum se tribunal mentis suae, & constituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas profluat, quo velut sacrificio Deus reconciliatur. Alioquin his adhuc interspersi, per flumiū igneum & vada feruentibus globis horrida transibunt: quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranseundi mora; quantum exegerit culpa, tantum sibi ex homine vindicabit quaedam flammæ rationabilis disciplina; & quantum stulta iniquitas suggererit, tantum sapiens pœna deserviet. Huiusmodi maxime diuini amoris considerationibus, tanto opere vel à minimis offensiunculis se abstinet, vt etiam quoad posset, primis suggestionibus peccandi ratione omni obliteret. Multa, ait, ago in cogitationibus meis pugnans aduersus malas suggestiones meas, & habens conflictationem diuturnam & propè continuam cum tentationibus inimici subuerrere me volentis. A mortifero verò peccato tantum abhorrebat, vt nec ob quæcumque huius vitæ commoda quemquam admittere posse dicitaret. Sic enim scribit Tractatu in Ioannem 51. Cùm causse articulus venerit, vt hæc conditio proponatur, aut fa-*  
cien-

ciendum esse contra Dei præceptum, aut ex  
 hac vitâ migrandum; ibi eligat homo Deo di-  
 lecto emori, quàm Deo offenso viuere. Et ali-  
 bi: Nihil delectabilius Deo: nam in homine  
 sunt quæ offendant, per amicitiam tamen co-  
 gis te, vt etiam illa quæ offendunt in homine,  
 toleres per amicitiam. Si ergo non debes pro-  
 pter quadam toleranda dissoluere amicitiam;  
 Dei amicitia quibus rebus debet cogi, vt dis-  
 soluatur à te? Quam rem à multis præpo-  
 sterè fieri dolens, Habet, inquit, hoc vehe-  
 menter execrandum malum nimius amor vi-  
 tæ istius, quòd multi dum volunt paulò diu-  
 tiùs viuere, grauitè offendunt Deum, apud  
 quem est fons vitæ: atque ita dum ab iis fru-  
 strà qui necessarius futurus est vitæ finis me-  
 tuitur, illinc prohibentur vbi sine fine viui-  
 tur. Ita censuit & seruauit in primis ipse,  
 dein ceteros homines, vt quàm maximè  
 peccatum, nec ipsum solùm, verùm etiam  
 omnem peccati speciem diligentissimè fu-  
 gerent, priuatim & pro concione est fre-  
 quenter adhortatus. Eorum tamen in se  
 crudelitè est vehementer infectatus, qui  
 reprehensì propter offensiones palàm ad-  
 missas, aiunt sibi coram Deo conscientiam  
 sufficere. Quisquis, scribit, à criminibus fla-  
 gitiorum atque facinorum vitam suam cu-  
 stodit, sibi benè facit: quisquis etiam famam,

Potius mors  
 oppeten-  
 da, quàm  
 peccatum  
 mortale cõ-  
 mittendum.  
 Lib. 50.  
 hom. 38.

In Psal. 35.

Omnis etiã  
 species mali  
 fugienda.

Li. De bo-  
 no viduit.  
 cap. 22.

N 3

Et in

*& in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra. Ut verò*

*Valida contra peccati remedia.*

in peccata non labamur, memoriam Christi in nobis crucifixi plurimum valere dicebat, eamque debere peccatum cogitanti occurrere. Insuper utilissimam esse frequentem exomologesim, & S. Eucharistiae summptionem, quod ex utroque Sacramento, tamquam de pretiosissimo vase, hauriantur medicamenta animae sanitati accommodata: praesertim verò robur ad impetus diabolicarum insidiarum fortiter excipiendum. Siquidem caelestis ille panis confirmat cor hominis, & vinum illud germinat virgines. Neque minimas habet vires oratio: quae & familiaris ipsi fuit in haec verba: *Da quod iubes Domine, & iube quod vis; continentiam iubes, perseverantiam iubes, da quod iubes, & iube quod vis.* Ita futurum videbat, ut homines à peccatis, praesertim maioribus, arcerentur.

Zach. 9.

Lib. 10.  
Confess.  
cap. 29.  
& 31.

CAPVT XXVII.

*Haereticorum reductioni vehementissime insudat.*

**H**AERETICOS & ab Orthodoxae regulae fidei deerrantes ingenti labore conatus est ad viam veritatis reducere. Atque cum haesiarchis, & iis qui praefractae fuerant

rant sententiæ, tum qui plebem imperitam  
 suis næniis abducere soliti, vehementissimè  
 contendit; ac præsertim cum Donatistis,  
 & deliro hominum genere Manichæis: cui  
 us sectæ Principem Fortunatum, propalam  
 excipientibus vtrinq; dicta Notariis, con-  
 futauit atq; deiecit, vt præ rubore ac igno-  
 miniâ sectarius Hipponem repetere deinceps  
 non fuerit ausus. Complures itaque  
 suâ oratione & exemplo permotos ad Or-  
 thodoxam fidẽ adduxit, ac operâ suâ per-  
 fecit, vt res Catholica mirum in modum  
 eâ tempestate semet efferret. Quam indu-  
 striam & diligentiam vt adhiberent ceteri  
 Episcopi, coràm & per literas eos vehe-  
 menter inflammavit. Post hæc Fortunatum  
 sectæ principem, de quo iam diximus, ex-  
 cepit nescio quis Manichæus par officio;  
 quem S. Augustinus scripto infectatus, *Si*, Epist. 244.  
*inquit, questionem in quâ tuus prædecessor*  
*defecit, mecum tractare non es paratus, disce-*  
*de hinc, & noli veneno inficere animas infir-*  
*mas, ne adiuuante dextrâ Domini nostri, quo*  
*modo non putaras, erubescas.*

*Disputat  
 palam cum  
 Fortunato.*

Postmodum in Donatistarû hæresi pro-  
 fligandâ multû laboris impendit: ac in pri-  
 mis rude vulgus, quod errore præceps fere-  
 batur, dedocendum esse statuit, Psalmo qui  
 eis caneretur, Latinè cõposito, quo calum-

*Totus est in  
 profligandâ  
 Donatista-  
 rum hæresi.*

nias à Donatistis factas Ecclesiæ Catholice insigniter refellit, eosque qui seducti erant, ad detestationem hæresis, sanctæque Romanæ Ecclesiæ communionem inuitavit; extra quam nulli mortalium spem ullam veræ salutis propositam esse docet.

Tom 7 in  
principio.

*Scitis, incinit, Catholica quid sit, & quid  
præcisum à vite?*

*Si qui sint inter vos cauti, veniant, vi-  
uant de radice,*

*Antequam nimis arefiant, iam liberen-  
tur ab igne, &c.*

Et post pauca :

*Sed quid illi externum virtutum splendo-  
rem præ se ferenti prodest forma, si non  
viuat de radice? (vite:*

*Venite fratres, si vultis, ut inseramini in  
Dolor enim est cum vos videmus præcisos  
iacere.*

*Numerate sacerdotes vel ab ipsâ Petri sede,  
Et in ordine illo Patrum, quis cui successerit  
videte.*

*Ipsa est petra, quam non vincunt superba  
inferorum porte.*

Ad hæc epistolam Donati, quæ specie antidoti venena propinabat, quæque nihil pestilentius in manus Catholicorum venire potuit, ante omnia detexit, & contrariis argumentis dissoluit.

D E